BIBLIOTHECA AUGUSTANA,

COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,

QUOS
AUGUSTA VINDELICA
ORBI LITTERATO
VEL DEDIT. VEL ALUIT.

Congessit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Augustanus, Bibliopola.

Alphabetum VIII.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXXII.

P R Æ F A T I O.

Ecce tibi, Lector benevole! *Alphabetum VIII. Bibliothecæ Auguſtanæ*, quod etiam ipſum ut benigno, quo cetera excipere conſueviſti, vultu excipias, rogito. Habes in illo *Jacobi* BRUCKERI *Vitam*; qui, cum Vir multò eruditiſſimus fuerit, nemo (puto) me arguet, quod merita eiusdem & ſcripta prolixe ac, quoad fieri potuit, exactiſſimo ſermone perſcripſerim.

Succedit IATROLOGIA AUGUSTANA *Sæculi XV. & XVI.* quæ Vitas ac Merita Medicorum *Auguſtanorum*, per

illud

illud temporis ſpatium *a*) artis ſalutaris exercitatione laudabiliter functorum, exhibet. Caveſis autem, Lector! credas, hanc narrationem intra jatricæ duntaxat eruditionis limites conſiſtere: Latius certe patet illa, & ad alias diverſi generis ſcientias belle extenditur; cum multi Medicorum *Auguſtanorum* nequaquam in ſolis medici argumenti libris conſcribendis hæſerint, ſed longius excurrentes, præſtantiſſimis ad quasvis artes ſpectantibus ingenii fœtibus Rempublicam litterariam ſtudioſe exornârint.

Sic, exempli gratiâ, *Adolphus* OCCO I. non modo ingenium variis maxime excultum ſcientiis habuit, ſed Rem quoque litterariam cum primis ſuæ ætatis Muſagetis in Germaniæ oris re-

a) Huius IATROLOGIÆ AUGUSTANÆ *Partem ſecundam* (ſi quidem ita vocare juvat) *Medicos Auguſtanos Sæculi XVII. & XVIII.* complectentem ſecuturo *Alphabeto IX.* inſeram.

restituit atque promovit. Sic OCCO II. doctrina magnus in omni, idem pro virili sua præstitit. Sic OCCO III. præter Medicinam, quam conscripta *Pharmacopæiâ Augustanâ* mirifice provexit, studium insuper *numismaticum* & *antiquarium* coluit. Sic *Achilles Pirminius* GASSARUS non ex sola scientia medica, sed etiam ex Rerum philosophicarum et Historiarum cognitione insigni plurimum laudis assecutus est. Sic *Leonardus* RAUWOLFIUS, edito erudito *Itinerario* suo inclytus, non Botanicen duntaxat, verùm & incolarum Orientis ritus, statum ac mores magnopere illustravit. Sic *Georgius* HENISCHIUS, qualis ac quantus in Dialectica, Rhetorica, Mathesi, Astronomia, omnique Philologia exstiterit, vulgatis libris certissime comprobavit. Sed de hoc satis.

Habes præterea, Lector! Vitam *Anastasii* VOCHETII, qui, tricennalis

bel-

belli temporibus, primum quidem in Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini, deinde vero in Ordine Carmelitarum Discalceatorum pietate, doctrina, & publicatis Operibus inclaruit.

Habes Vitam *Udalrici* WEIS, præstantis ex Ordine S. Benedicti Philosophi ac Mathematici, ante aliquot lustra Musis præmatura morte erepti.

Habes denique merita aliorum inferioris subsellii Eruditorum, quorum nomina non omnino ignorare, ê re Civis litterati est.

Vale. Scripsi Calendis Ianuarii, anno post reparatam â Christo Domino Salutem, M. DCC. LXXXXII.

AUCTOR.

Nomi

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto VIII.* continentur.

Observa, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majusculis: eos vero, qui duntaxat in transitu, aut per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minusculis exprimi.

FRE-

MA-

Stet-

ANO-

NB. *Pag.* 83. *Lin.* 21. lege: *Vixit annos* 81. *menſes &c.*

ANONYMI IV.

Saeculi XV.

Absque omni dubio Cænobitæ *San-Vdalricani*, ſcripſerunt nonnulla ad Hiſtoriam *S. Simperti a)* Epiſcopi et Patroni Eccleſiæ *Auguſtenſis* ſpectantia: quæ omnia exhibet *Bern.* PEZIUS in *Theſ. Anecd. nov. T. II. P. III. p.* 382-446.

Primus confecit *Librum Miraculorum* præfati *Sancti*, ab anno 1465. usque ad annum 1471. quem MAYSTERLINO ſubdubitans tribuit PEZIUS in *Diſſert. Iſagog. ad Tom. II.* laudati *Theſauri pag. LXII b)*.

Secundi eſt alius *Liber Miraculorum* eiusdem *Sancti*, hortatu *Mayſterlini* et Conradi *Mörlini* Prioris ab anno 1488. ad annum 1495. ſtylo quidem rudi, attamen veritati conſentaneo digeſtus.

Tertius dedit *Acta ſecundæ Inuentionis et Translationis Reliquiarum S. Simperti*, ſub Joanne de *Giltlingen* Abbate anno 1491. factæ.

Quar-

a) De *S. Simperto* fuſius egi in *Alphabeto IV.* præſentis *Bibliothecæ Auguſtanæ*. Confer etiam *Alphabetum VI. p.* 194.

b) Vide, quæ ego moneo in *Alphabeto III.* memoratæ *Bibliothecæ*, *pag.* 108. in *Vita Mayſterlini*.

Quartus litteris mandavit *Acta tertiae Translationis Reliquiarum S. Simperti*, quae anno 1492. die 23. mensis Aprilis, tunc feria tertia Paschae, contigit.

BRUCKERUS (*Jacobus*)

Quamquam *Jacobus* BRUCKERUS, dum vixit, magna nominis celebritate per Germaniam exterasque oras, idque pro meritis, floruerit; post mortem tamen fato usus est tam sinistro, ut vix unus alterue esset, qui Viri doctissimi memoriam scriptô in vulgus editô oblivioni eriperet. Quod nisi *Carolus Fridericus* BRUCKERUS, filiali pietate famam paternam vindicaturus, brevem commentariolum *de Vita Nostri* congessisset, vix quidquam esset, quod de Viro isto eruditissimo vere solideque proponi posset. Hujus *commentarioli*, a filio in patris funere de scripto recitati, at typis non vulgati (a me tamen visi) compos cum factus esset vir alius doctus *a*) minime committendum, ut diutius is lateret: sed plane eundem, additis obseruationibus suis, in Libro: *Schwäbisches Archiv. III. St. pag.* 281. juris publici faciendum judicavit. Post hos duos *b*) tertius in arenam descendo ego, quid effectum dari queat, periclitaturus: sicque Populari nostro honoris obsequium, quod is multis *nostrorum Eruditorum*, Vitas illorum conscribendo impendit, civico veluti nomine repensurus. Tu, Lector! faveto.

Jaco-

a) Est is Perillustris D. *Paulus à* STETTEN *junior*, Septemvir Augustanus, jam pluribus, *Historiam* patriam illustrantibus, libris editis inclytus.

b) Nonnulla quoque de *Nostro* habes in Libro: *Ministerium euangelicum Augustanum. c. fig.* in 4.

Jacobus BRUCKERUS anno MDCLXXXXVI. ad diem 22. Januarii primam lucem *Augustæ* aspexit, parentibus tenuioris censûs procreatus *c*) at præclaro ingenio a natura, fortunæ novercantis parcimoniam suis in *Nostro* dotibus compensante, ornatus. Ob eam caussam mature in Ludum *San - Annæanum* missus est, et præter alios didascalos etiam *Philipp. Jac.* CROPHIUM *d*) audiens miros in artibus, quibus erudiri ætas puerilis solet, progressus fecit. Eminebat autem in *Arithmetica* et *Calligraphia*: unde parum abfuit, quin a Musis abstraheretur mercaturæ mancipandus, nî debilior, qua utebatur, corporis valetudo obstitisset. Igitur mitiori vitæ conditioni servatus, anno MDCCX. in *Collegium evangelicum* venit, in quo sub *Conrado* MEZGERO seniore, Ephoro, *Crophianæ* erga *Nostrum* pietatis ac vigilantiæ succedaneo, litteras *latinas*, *græcas*, atque *hæbraicas* egregie didicit. Ea ratione ad seueriora studia et adeundas cum fructu Academias bene præparatus, anno MDCCXV. postquam Athenæo *Augustano* recitata *de Matheseos dignitate* oratione valedixerat, *Jenam* tetendit, ubi per id temporis BUDDEUS, SYRBIUS, WEDELIUS, DANZIUSque publico docendi munere fungebantur: quos *Noster* Professores, mox etiam amicos habuit.

In ea Academia ad *Theologiam*, ad *Linguarum Orientalium*, ad *SS. Patrum* et *Historiæ ecclesiasticæ* studia gnaviter incubuit. Statim altero autem, ab ingressu in Academiam, anno (nimirum MDCC-

c) Pater, sartorem agens, sibi suisque victum acu colligebat. Annis grauatus, amisso oculorum usu, senectutis & cæcitatis subsidia in filii caritate invenit.

d) Vir perdoctus, de quo alibi à me dicetur.

MDCCXVI.) publica de *Pyrrhone e) a Scepticismi universalis macula absolvendo* disputatione habita, plurimum sese cognitione *Historiæ philosophicæ*, ex qua postea magnam adeptus est famam, trahi palam ostendit. Audiamus ipsum de hoc testantem *f*): *Primitiæ hæ nostræ fuere, cum Historiæ philosophicæ studium vix salutassemus, excitatique a Car. Frid. Buddeo, quem huius partis historicæ præceptorem, eumque amicissimum habuimus, hæc ad Car. Frid. Pezoldum scholæ Thomanæ apud Lipsienses Subrectorem peculiari epistolâ scripsimus, quæ ab eo Miscellaneis Lipsiensibus, Tom. V. pag.* 236. *inserta est &c.*

Sic dum *Noster* litteris strenuam navat operam, anno MDCCXVIII. *Philosophiæ Magister* renunciatur: eodemque anno labente, edito *Tentamine Introductionis in Historiam doctrinæ logicæ de Ideis*, idoneum se comprobavit, cui publice prælegendi licentia concederetur. Ea pro meritis impetrata maxime in tradendis *Logicæ* artis, et *Græcæ* linguæ præceptis versabatur, crebris, quas instituebat, scholasticis concertationibus cum laude præsidens, multoque cum fructu docens. Denique, postquam *de Comparatione Philosophiæ gentilis, cum Scriptoribus sacris et Religionis christianæ dogmatibus, caute instituenda*: itemque *de falsa Virtute exemplo Alexandri M. illustrata*, quà Præses ipse, disputârat, finem faciens academicis studiis, doctoque per vicinas Academias itinere perfunctus anno MDCCXX. *Augustam* remeavit.

Ibi

e) Non: *Pyrrho.*

f) In *Miscellaneis Historiæ philosophicæ, litterariæ, criticæ*, 1748. editis, in 8. p. 1. 2.

Ibi inter *Candidatos Ministerii*, ut ajunt, *evangelici* assumptus minime otio turpi diffluxit; sed enim tum in patria, tum per vicinas Imperii civitates acatholicis sacris addictas, maxime vero *Monasterii*, *Münster*, pago *Hohenlochicæ* ditionis (Illic dimidiô anni MDCCXXI. spatiô apud parochum, amicum suum, postea *Diaconum* ad S. Crucis *Augustæ*, *Alb. Lud. Jac.* HARDERUM manserat) habendis concionibus sese exercuit: ita tamen ut simul studium *Philosophiæ*, *Historiæ litterariæ*, *Philologiæ* ac *Critices* *) sedulo coleret. Res patrias quoque accuratius cognoscendi avidus in legendis *Ach. Pirmin.* GASSARI Annalibus *Augstburgensibus* multum versabatur: et patriæ urbis Historiam sive *politicam* sive *litterariam* studiorum scopum faciebat; in quibus *Wolfg. Jac.* SULZERUM, demum *Duumvirum Augustanum*, auxilio sibi fuisse, seque *multoties*, *ex inexhausto lectionis eius horreo in condendis patriæ virtutis et doctrinæ Memoriis adjutum esse*, publice professus est, in *Præfat.* ad *Miscellanea* sua.

Quale autem *horreum* istud fuerit, descripsit in *Præfat.* ad *Historiam Vitæ Adolphorum Occonum* dicens: *Is* (Sulzerus) *antequam Reipublicæ muneribus*

*) Mirifice *Noster* studiô *Philologiæ* cum *Critica* conjunctæ oblectabatur: cui ineunte hoc etiamnum sæculô honor ac existimatio magna abs Eruditis fuit. At *Philosophici* studii variatio, quæ nostra ætate accidit, magnam quoque in toto scientiarum regno variationem effecit, ita ut pauci remanserint *Philologiæ* asseclæ. Inde procul dubio factum, ut *Bianconius*, quondam *Josephi* episcopi *Augustani* Archiater & singularis, dum Augustæ restitit, *Nostri* amicus, eundem in *Epistolis de urbe Monacensi, & Augustana* editis, *ultimum Romanorum* appellârit; quod rari esse cæpissent Philologi *Nostro* pares. V. *Schwäbisches Archiv. III. St. p.* 293.

ribus admovebatur, pro innato eruditionis in patria tum uniuersim promovendæ, tum patriæ speciatim historiæ illustrandæ studio rem suo ingenio dignam, eique soli parem aggressus, quidquid ad Augustanam historiam sive sacram siue civilem siue litterariam referendum putavit, incredibili labore aggregavit: eaque ratione ex libris non tantum undique conquisitis, sed ex manuscriptis quoque codicibus, chronicis, aliisque priscæ fidei monumentis, imo ex ipsis chartophylaciis locupletissimum patriarum rerum thesaurum collegit. Obstitere tamen majora, quibus in patriæ salutem ac incolumitatem adhibebatur, negotia, et collata splendidissima munera; quo minus ipse vastissimam istam Collectaneorum molem in ordinem redigeret, et in concinnum deduceret Opus. Ergo ex hoc civibus ad eruditionem annitentibus, patriæque historiæ elucidandæ pro virili satagentibus liberaliter prorsus ac humanissime suppetias tulit &c. &c. Sed filum narrationis resumere placet.

„Per eadem tempora *Noster* materiam quoque construendæ *Historiæ Gymnasii San-Annæani* inservituram, multo labore congessit: quam postea memoratus CROPHIUS a se elaboratam litteratæ Reipublicæ dedit. Ipse suum *de Ideis* meletema auctius politiusque anno 1723. *g*): et anno 1724. Vitam *Eliæ* EHINGERI *h*) integro justæ molis libello comprehensam in lucem emisit, ornatam effigie Viri hujus, quam *Jac. Andr.* FRIDRICH Chalcographi artifex stylus bellissime expresserat. Præterea per illud temporis intervallum privatis institutionibus ad optimarum artium cognitionem juvenum

g) V. *Miscellanea* Nostri, *pag.* 110.

h) De hoc erudito Viro, post BRUCKERUM, pauca afferam.

venum *Augustanorum* ingenia formare *i*) studuit; quorum e numero præcipue laudandus venit illustris Patritii ordinis Adolescens, quem postea ad virilem progressum ætatem tum publicis in Republica muneribus probe administratis, tum maxime *Historiâ Urbis patriæ* vernaculo sermone ex fide dignis Scriptoribus et authenticis monumentis ita conscriptâ, ut similî reliquarum civitatum imperialium nullam gloriari liceat, et *duobus* in 4to. majori *Voluminibus* evulgatâ clarissimam nominis famam novimus consecutum *k*). Insuper bibliopolis atque iconographis suam commodavit operam, eorumque incœpta doctrinâ suâ impiger secundavit.

Quadriennio has inter occupationes exacto, fama *Nostri* per viciniam magis magisque increbescente, eundem *Kaufbura* urbs imperialis, ab *Augusta* aliquot milliaribus dissita, suum esse voluit. *Noster* vocatione acceptata sese illò anno MDCCXXIV. contulit: tum *Adjunctum*, quem vocant,

A 4 *Mini-*

i) Ab hac occupatione ne in virili quidem ætate, aut senex cessauit, adolescentes, Reipublicæ utiles futuros, statutîs horîs domi suæ aptis præceptionibus erudiens.

k) Est is *Paulus à* STETTEN, *senior* dictus: â quo extat: *Geschichte der Heil. Röm. Reichs freyen Stadt Augspurg aus bewährten Iahrbüchern und tüchtigen Urkunden gezogen.* in 4. maj. c. fig. 1743 - 1758. *Tomus I.* ab origine urbis ad annum 1627. excurrit. *Tomus II.* historiam civitatis ab anno 1628. in annum 1649. describit. Præmisit Auctor *brevem notitiam de Scriptoribus Rerum Augustanarum* tum editis, tum ineditis, aliisque Libris & Monumentis ad eam Historiam facientibus. Natus is fuerat annô 1705. & honorificis in patria officiis functus, diem clausit extremum annô 1786. Confer *G. Chr. Hamberger Gelehrtes Teutschland*. Editio III. *p.* 1168.

Ministerii acturus: tum *Rectoris Scholae Latinae* officium suscepturus.

Sic stabili in sede locatus tempus, quod a scholasticis laboribus vacuum dabatur, amatis studiis nova animi contentione sacravit: et *Operum*, quibus postea praelo vulgatis in Republica litterata universa plurimum inclaruit, nominatim *Historiae* suae *philosophicae* fundamenta propiora jecit. Sed de his fusius dicendi occasio infra recurret. — Nunc ad reliquas Vitae *Nostri* circumstantias pergo.

Anno MDCCXXXV. *Kaufbura* meritorum *Nostri* nec inscia, nec immemor *Diaconum*, *Scholarcham*, *Assessorem*que *Consistorii* instituit. Scilicet annis juxta ac meritis crescentibus dignitas quoque *Nostro* ac fama crevit. Haec fecit, ut anno MDCCXXXXI. D. *Christ. Matth.* PFAFFIUS Comes Palatinus caesareus et Theologiae in *Tubingensi* Academia celebris Professor *Diploma Doctoratus Theologici* BRUCKERO ultro transmiserit, eaque ratione, quam magnifice de doctrina *Nostri* sentiret, aperte monstrarit. Quo tamen in loco monere me oportet, isto voluntario honoris ac doctrinae Insigni uti, *Nostrum* duplici de caussa renuisse; *prima*, quod illud viâ insolitâ, nec praemisso consueto examine obtinuisset; *secunda*, quod aemulorum invidiam, contemptumque potius quam aestimationem inde sibi conciliandam esse vereretur. Haec fecit, ut anno MDCCXXXXII. nomine Regis *Porussorum Halam*, Saxoniae urbem, evocatus sit, cathedram *theologicam*, si vellet, in ea Universitate conscensurus: Sed aetas ad senium vergens, aliaeque magni momenti rationes impulere *Nostrum*, ut istam vocationem provida excusatione declinaret. Haec fecit, ut *Phil. Jac.* CRO-

PHIO

PHIO anno 1742. vivis erepto, *Augusta* civem suum sibi repeteret, *Rectoris* Ludi *San - Annaeani* officio exornandum: at hanc quoque vocationem detrectante *Nostro*, ea dignitas *Gottofredo* HECKINGIO *l*) cessit, quem ipsum Scholarchis *Noster*

 com-

l) Hic *Ulmae* anno 1687. in hanc vitam ingressus, et in patrio Gymnasio primis litterarum elementis eruditus, post edita ex more ingenii et doctrinae specimina *Tubingam*, ubi *Iaegerum*, *Reichlinum*, *Hillerum* et *Roeslerum* audivit: dein *Argentoratum* pervenit, ubi *Zentgrafio*, *Pfeffingero*, *Wagnero*, *Lederlino*, graece doctissimo, aures commodauit. Excitatus autem magnâ *Jo. Franc.* BUDDEI famâ *Jenam* petere constituit; quò antequam proficisceretur, *Basileam* aliasque *Helvetiae* civitates transiens, salutatis *Werenfelsio* ac *Jo. Buxtorfio* in tractandis litteris orientalibus maximo, lustratisque bibliothecis patrios lares revisit. Postea *Jenam* appulsus tum â *Buddei*, quem nominavi, tum etiam *Foertschii* et *Russii* ore sedulus pependit, solitisque doctrinae periclitationibus perfunctus *Magisterii* honores consecutus, & inter *Societatis*, quae ibidem floret, *latinae* membra honoraria adscriptus est. Sic per octennii spatium peractis laboribus academicis, Universitatem *Halensem* invisit; in quâ ex *Antonii*, *Breithauptii*, et *Franckii* praelectionibus eruditionem, cuius tyrocinium deposuerat, confirmavit. Inde revectus in patriam Philosophiae moralis docendae munus capessivit, quô per quatuor annos gestô anno 1718. ad regendum Gymnasium *Heilbronense* vocatus est. Ibi 25. annos commoratus, *Augustam Vindelicorum* venit, *Rectoris* Gymnasii *Annaeani* et Bibliothecae publicae *Praefecti* officium suscepturus. Hôc probe, dum anni viresque manebant, impletô, demum anno 1767. sese abdicavit, post sexennium (1773) μαρασμῷ senili extinctus, cum annos 86. vixisset. Extant a Nostro I. *Disputationes* seu *Dissertationes*, quas in *Academiis* tum Professorum suorum auxilio, tum proprio Marte conscripsit. II. *Programmata* varia, quae *Heilbronae* et *Augustae* edidit; quae si junxeris in unum, justae mo- lis

commendaverat. Hæc fecit, ut anno MDCCXX-XXIV. patria urbs, altera jam vice, BRUCKERUM invitarit: notos lares reviſeret, & parochiam ad *S. Crucis* adminiſtraret.

Ceſſit is, et vocanti patriæ haud diutius reſiſtendum eſſe arbitratus una cum familia ſua *Auguſtam* venit. Rexit autem eam Paræciam usque in annum MDCCLVII. quô *Samuelis* WIDEMANNI parochi ad *S. Udalricum* et *Senioris Miniſterii* *m*) ſupremis fatis perfuncti vices obire iuſſus eſt: quas

lis Volumen conſtituunt: quæ inter expreſſis verbis memoranda duco. 1. *Pietatis et ſapientiæ nexus, certiſſima Reipublicæ ſalus.* Hôc munus *Rectoratûs Auguſtani* anno 1743. die 21. Auguſti auſpicatus eſt. 2. *De prudenter eligenda Academia.* 3. *Auguſta, ſtudiorum Matheſeos fautrix.* 4. *De felicitate Gymnaſii Auguſtani.* 5. *De Fatis Collegii evangelici, quod eſt Auguſtæ.* 6. *De Rebus memorabilibus, recens et ingenioſe inventis.* 7. *Aurora renaſcentium litterarum Auguſtana.* 8. *Annus abhinc quinquageſimus, ſingularibus de cauſſis notabilis.* 1750. 9. *De Favore Principum hodiernorum in litteras.* 10. *Aurora in tenebris Judaicis exoriens.* 11. *De Auguſta ex calamitatum anguſtiis liberata.* 12. *De inſignibus artis Anatomicæ et Linguarum ſtudii recentiori ætate factis acceſſionibus.* 13. *De origine, moribus et religione veterum Vindelicorum.* 14. *De auguſtis Imperii Comitiis Auguſtæ pacis communis cauſſâ recentiori ætate celebratis.* 15. *De celebrioribus Germaniæ urbibus Auguſtæ nomine inſignitis &c. &c. &c.* III. *Epicedia* in diverſorum Procerum *Auguſtanorum* obitum; de quibus fuſius dicere brevitatis ſtudium prohibet. Confer *Meuſelii Gelehrtes Teutſchland.* Fuit etiam quidam *Jo. Bartholomæus* HECKINGIUS, quem filium præcedentis ſuſpicor, Juris utriusque Licentiatus, â quo habetur *Diſſertatio de Provocationibus & Appellationibus ſecundùm Privilegia cæſarea, Statuta &c. Auguſtano-Vindelica. in 4. Erlangæ.* 1752.

m) De *Widemanno* eiusque Scriptis videri poterit Liber: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum.* in 4.

quas etiam ad vitæ ſuæ finem usque cum multa ſuorum laude obivit. Nam etſi, poſt reditum in patriam, a celeberrimis Univerſitatibus, e. g. à *Göttingenſi*, ad tradenda Theologiæ placita poſtulatus ſit, eas tamen vocationes omnes eſt aſpernatus, *Auguſtanis* penatibus, quos poſtliminio reſalutarat, valedicere et dulcia linquere moenia recuſans.

Sic in patriæ ſinu occupationibus ſtatûs et litterarum ſtudiis inſeneſcens tandem rebus humanis anno MDCCLXX. die 26. Novembris ereptus, et in cæmeterio extra portam, quæ rubra dicitur, ſito terræ mandatus eſt: ubi priùs tumulum ſibi legerat hac epigraphe *):

I. S. S.

Jacobus Bruckerus

Miniſt. Auguſtani Senior, Paſtor ad D. Udalrici A. C. Anna Barbara Mayria, eius conjux, hoc ſibi, Liberis novem, et hæredibus ex illis legitime natis cubiculum, quo feſſa membra quieſcerent, ſpe lætæ Reſurrectionis V. F. C. Anno S. R. MDCCLIX.

Uxores habuit duas, ex altera, quam *Kaufburæ* ſibi junxerat, multis Liberis auctus: quos inter, haud abſonum erit, duos ſuis hoc loco vocare nominibus, videlicet *Carolum Fridericum*, de quo ſtatim initio huius narrationis memini, & *Chriſtophorum Henricum*. Prior anno 1733. die 18. Aprilis *Kaufburæ* natus, in pueritia tum a patre tum ab

*) Exhibet hanc *epigraphen*, mihi à Perilluſtri *Paulo à* STETTEN *juniore*, jam *Septemviri Auguſtani* dignitate claro, gratioſe communicata, *Continuatio Monumentor. Auguſtan. à Daniele Praſchio olim editorum manuſcripta*; ex qua plura Excerpta tum in præſenti, tum in ſecuturis *Alphabetis*, ſuis quæque locis, daturus ſum.

ab iis, quos hic in laboris partem assumpserat; bonis litteris tinctus est; subin *Augustæ* ab anno 1744. in *Gymnasio*, *Collegio*que evangelico studiis vacavit. Anno 1750. *Lipsiam* profectus in ea Academia præ cæteris *Wincklero*, *Crusio*, *Gottschedio*, *Jöchero*, *Heinsio*, ac *Hebenstreito* operam dedit, et spatio quadriennii emenso *Magisterii* honore decoratus est. Posthæc excurrens *Halam*, *Wittebergam*, *Altenburgum*, *Jenam* atque *Göttingam*, consalutatis ubivis horum locorum eruditis parentis sui Amicis *Augustam* rediit. *Nostri* est *Dissertatio de Salomone idololatra* in 4. *Lipsiæ*. In patria variis libris germanice convertendis (Sunt hi: *Le* CLERC *Geometrie*; SEGERS *Ruinen von Athen*; *Abbildung der antiken Mahlereyen im Herculano*, BARBAULTS *Denckmähler des alten Roms*; *Die Alterthümer Balbecks*) itemque juvenibus publice privatimque instituendis occupabatur, ipsemet eorum, quæ pater eruditissimus domî monebat, sedulus auditor observatorque. Eum *Academia* Cæsarea, quæ *Roboreti* est: eum *Academia* electoralis *Bavarica*, quæ Monachii, suos inter cives annumeravit. Ad Poesin, quæ cantu et musicis instrumentis animari solet, ingenio multum valuit; unde etiam plura eius *Poemata* germanica circumferuntur. Anno 1758. *Pestilentiarius*, ut ajunt; eodemque adhuc anno *Diaconus* in Ecclesia Discalceatorum (*Barfüsser*) denique et *Parochus* ibidem anno 1772. est renuntiatus: sed antequam ad id muneris aggressus esset, putrida, quæ tum patriam desolabatur, febri consumptus diem clausit extremum. Confer ADELUNGII *Fortsetzungen und Ergänzungen des Jöcherschen Gelehrten-Lexicon.* Vide inferius in *Catalogo Opp.* Patris. *N.* 54.

Poste-

Posterior, *Christophorus Henricus*, Themidem sectans Jurisprudentiæ præcepta in *Jenensi* Universitate addidicit: in *Erlangensi* vero *Licentiati* honore insignitus domum ùt rediit, brevi post secretioris Senatûs acatholici *Amanuensis* factus est; de quo gradu, elapsis aliquot annis, ad ipsam *Archigrammatæi* dignitatem ascendit. Vivorum e numero anno 1790. ereptus est. — Sed à Filiis ad Patrem redeat oratio. —

Fuit is talis, ut multis nominibus laudari mereatur. Fuit maritus facilis, jucundus, obsequens. Fuit pater bonus, suorum amans, numerosæ soboli educandæ et probis vitæ præceptis formandæ intentus. Fuit civis erga omnes comis, officiosus. Fuit in obeundis partibus suis diligens, indefessus. Fuit, in magna nominis celebritate, alienus â fastu, et ab omni arrogantia longissime remotus.

Corporis valetudine (quod in limine *Vitæ* monui) usus est debiliori; quam tamen victûs temperantiâ, quantum licuit, ac providâ diætâ firmavit. Et licet ab ipsa juventute, maxime vero in senectute, communi Eruditis malo, hypochondriaco videlicet, vexatus fuerit; atque corporis et animi vires non intermissis studiis plurimum attriverit, tamen diutius vitam trahere potuisset, nisi mortem ei fatalis casus accelerasset, quô, librum quendam ex altiori bibliothecæ scrinio capere parans, fallente vestigio, datus in terram fuit. Expendimus præcipuas Vitæ BRUCKERI circumstantias. Iam Merita *eiusdem* litteraria expendamus.

Supervacaneum fore deputo, hoc loco ea repetere, quæ *superius* de studiis in pueritia et pa-

tria

tria urbe, deinde foris, in Univerſitate *Jenenſi* peractis: de primoribus doctrinæ ſpeciminibus ibidem a *Noſtro* editis: de adepto *Magiſterii* gradu: de ſollicita juventutis inſtitutione: aliisque memoravi; de quibus cum abunde dictum ſit, ea duntaxat perſequar modò, quæ ille, ubi vir evaſerat, in re litteraria præſtitit. Itaque BRUCKERUS eò ætatis provectus, et ſtabile certumque vitæ genus ſortitus, doctrinarum ſubſidiis, quæ ſibi plurima maximaque paraverat, gnaviter uti cum animo ſuo decrevit: cumque indole optima et ad litteras quaſi facta præditus eſſet, in id multum incubuit, ut ingenii ſui foetus opitulante prælo in lucem produceret; quibus ne litteratam Rempublicam onerare potius, quam locupletare videretur, ſollicite cavit: dum libros a ſe editos modis omnibus exaſciavit; et, ſicubi editiones iterabantur, novo ſtudio curisque novis polivit; atque, ne decoris externi quidpiam deſiderari poſſet, probæ *Latinitatis* ſyrmate veſtivit. Facitque res iſta eo majorem admirationem; quod *Noſter Kaufburæ* urbe, utut ex negotiatione famam aliquam habeat, tamen Bibliothecis, aliisque conſcribendorum librorum adjumentis deſtitutâ, hæc omnia (maxima ſaltem ex parte) effecerit. At is, quod neceſſariorum ſubſidiorum deerat, epiſtolari commercio ſupplendum prudenter judicans, per litteras viros doctos ubiubi manentes adibat, eorum conſilia, monita, opem, obſervata efflagitans. Eundem in finem *Bibliothecam* non tam librorum numero, quam delectu ſpectabilem ſuis uſibus inſtruere cæpit, quam poſtea in patriam reverſus novis nec ſpernendis acceſſionibus ditavit; præcipue cum ei *Eruditi* ſyn-

chro-

chroni Opera a se vulgata, testandæ amicitiæ caussa, dono submittere non neglexissent. Verum hæc, *Nostro* fatis supremis functo (vt humana fluxa sunt omnia) sub hasta, quod ajunt, divendita interque bibliophilos dissipata, jam dudum esse desiit.

Conversari cum viris prudentia et doctrina conspicuis, id maximæ BRUCKERO voluptati fuit. Hinc factum, vt vespertinis horis tabernas obiret librarias, quò et animum a studiis relaxaret, et doctos ibi viros, se præstolantes, conveniret, quid novi in Republica litteraria accidisset, comperturus, Hinc factum, ut ipso auctore ac incentore anno 1746. Eruditi aliquot *Augustani* in *litterariam societatem* coiverint, certisque se mutuo legibus obstrinxerint. Sumpserant autem novo instituto ad exemplum *sodalitatis*, quæ sub *Marco* VELSERO *n*) ad initia Sæculi XVII. brevi, proh dolor! tempore floruerat, nomen: *Ad insigne pinûs*, propositum id habentes, ut *Historiam patriam* magis magisque illustrarent; quem in finem singulis septimanis historicam eiusmodi Dissertationem se in conventu, suis quisque vicibus, prælecturos condixerunt. Quin juvat huius societatis membra nominare. Erant *Paulus à* STETTEN *senior. Joan. Elias Leopold. ab* HERWART *o*) Con-

n) De hac *Sodalitate* vide *Alphabetum II.* meæ *Bibliothecæ*, *p.* 198. & *Alphabetum, VI. p.* 42. *seqq.*

o) HERWARTUS, ex Gente patritia *Augustana* originem ducens, Oettingæ anno 1716. primam lucem aspexit. Pater ei fuit *Joannes Baptista*, vir belli artibus exercitatus, *Capitaneus* urbis *Oettingensis*, jam tum, cum *Nostrum* genuit, emeritus miles; utpote qui unô oculorum, in acie ictu sclopeti amisso, alterius æque mul-

Consul. *Jac.* BRUCKERUS ipse. *Ludov. Barthol*

ab

multum læsi usu parum juvabatur. Vitam is demum clausit anno 1735. die 23. Februarii natus annos 72. Matrem *Noster* habuit *Annam Catharinam*, *Jo.* Georg. *Hoffmanni*, item *Capitanei* peditum *Anspacensis*, filiam. Abs parentibus in *Seminarium Oettingense* missus, perceptis *latinæ* linguæ elementis, anno ætatis duodecimo *Augustam* Majorum suorum patriam, venit: ubi in *Collegium evangelicum* assumptus, tum *Henrici* MEZGERI Ephori, de quo paulo post dicam, tum in Gymnasio *San-Annæano* M. *Marggrafii* & Phil. Jac. *Crophii* Rectoris institutionibus usus est. Anno 1733. *Salana* Universitas *Nostrum* excepit, in qua ei studiorum academicorum hæc fuit ratio atque ordo. In *Philosophicis* habuit percelebres Professores; *Kromayerum* quoad Collegium Stili: in Logicis, Metaphysicis, & Philosophia practica *Reuschium*: in Jure naturæ *Köhlerum*: in Mathesi & Physicis *Hambergerum* Consiliarium aulicum, & in illa iteratò *Wideburgium*: in Historia *Buderum*. Ad Themidos sacra penetralia viam ei straverunt *Moterus* Advocatus Curiæ provincialis ordinarius, & *Stengerus*, quorum ille Institutiones juris prælegit: hic Pandectas, Jus canonicum et feudale illi instillavit, nec non artificium practicum demonstravit. Hos præter audivit Consiliarium aulicum *Estorem*, dum Jus publicum & Pandectas docebat, atque *Heimburgium*, alteram Digestorum Partem explicantem. Sic trienniò, et quod excurrit, transactò anno 1736. die 29. Decembris sub præsidiò Diet. Hermanni *Kemerichii* scriptam suo Marte *Dissertationem*, inferius *N. I.* recensendam pro obtinenda *Licentia*, summos in Jure honores petendi, habuit. Hæc fere iisdem verbis Jo. Frid. *Hertelius* in *Programmate* ad *Dissertationem* Nostri *inauguralem*. Revectus *Augustam* inter Senatores locum capessivit, deinde Consulatum gessit, denique Tributorum (vulgo *Steurarum*) Præfectis annumeratus, in ea dignitate supremum diem obiit, cum haud diu vixisset. Eius *Epitaphium* in Sacello *Herwartiano* ad *S. Georgium*, *Augustæ*, sequens visitur:

„Siste

ab HERTENSTEIN *p*) Senatui *Augustano* a Consiliis.
Hen-

„Siste Viator! Lege et luge præmaturum obitum „Viri, doctrinæ præstantia, virtutum numero. generis „splendore, et munerum amplitudine insignis, Joh. Eliæ „Leopoldi Herwarti, Johannis Bapt filii, Joh. Henr. ne-„potis, Patricii, Senatoris, Excons. et Rei. Trib. Præf. „de Repub. Aug. optime meriti: Nati d. XIX. Maji MDC-„CXVI. denati d. XXXI. Aug. et huc conditi d III. Sept. „MDCCL. cuius venerandæ memoriæ hoc monumentum „posuit Vidua moestissima Euphrosyna de Rad cum Li-„beris superstit. IIII. Mar. Elisab. Christophoro Sigismun-„do, Godofredo Christoph. et Paulo Leopoldo posthumo."

Habentur à *Nostro* sequentia: I. *Dissertatio de Judiciis Nuntiaturæ apostolicæ in Germania.* in 4. *Jenæ.* Quid de hac *Kemerichius* senserit, exposuit in eiusdem fine, dicens: *Si temporis ratio permisisset, nec abitus tuus ex hac Academia maturandus fuisset, fieri fortasse potuisset, ut nonnulla (vti in proœmio & paragrapho primo cœperam) paululum mutassem, vel in alium ordinem redegissem, vel etiam hinc inde quædam addidissem; sed jam integra tua tibi lucubratio relinquenda fuit. Id nihilominus dissimulare nequeo, laudem utique mereri insignem præclaros hos conatus tuos: teque ingenium & judicium tuum non minus, ac industriam in hac scriptione tua mihi vehementer probâsse.* II. *Commentatio de Jure Suffragiorum, præcipue in inclyto Senatu Augustano ad Artic. V. §. 9. Transactionis Osnabrugensis, in 8. maj. Francof. & Lipsiæ*, veriùs *Augustæ.* III. *Erläuterungen der ältesten Augspurgischen Urkunden von An. 822. bis An. 1332.* Opus *manuscriptum*, cuius multâ diligentiâ, multôque judiciô congesti *Continuationem* præmatura Auctoris morte præcisam fuisse, doluit *Paulus à* STETTEN in *Historia* vernacula *Augustana Tom. II.* in prævia *Notitia de Scriptorib. Rer. August.*

Ex eadem familia *Herwartiana* etiam honoris gratiâ nominandus est quidam *David Ulricus*, cuius extat *Dissertatio de Successione Conjugum ab intestato, secundùm mores Augustanos.*

p) *Hertensteinius*, Suevus *Ulmensis*, natus anno

 1709.

Henricus MEZGERUS Ephorus Collegii evangelici. *Fran-*

1709. patre *Joanne Friderico*, J. V. Licentiatus, id honoris in Argentoratensi Academia anno 1731. consecutus, primùm *patriæ* urbi ab anno 1734. deinde ab anno 1739. *Augustanæ* Reipublicæ â Consiliis fuit. Obiit anno 1764. Doctrinam et Historiæ Suevicæ illustrandæ studium sequentibus Libellis tum editis tum ineditis laudabiliter comprobavit. I. *Specimen Juris publici Suevici, de Ducatu Sueviæ & Alemaniæ*, pro supremis in Jure utroque honoribus obtinendis editum. *Argentorati* 1731. Recusum in *Wegelini Thes. Rer. Suevic. T. II. p.* 548. II. *Specimen Historiæ patriæ: De Ulma per Lotharium Saxonem anno* 1129. *obsessa, occupata, destructa; et per Conradum Suevum anno* 1140. *restaurata atque amplificata.* in 4. *Ulmæ.* Dicatum est Ulmensi Senatui. In lingua *vernacula* exhibet idem meletema Liber: *Auserlesene Arbeiten der Gelehrten im Reiche. P. I.* Latine recusum invenies in *Wegelini Thesaur. Rer. Suev. T. IV. p.* 123. III. *De SSmæ Domûs Austriacæ Advocatia provinciali superioris & inferioris Sueviæ Disquisitio historica.* Habetur in *Novis Actis Eruditor. Lipsiens.* ad annum 1739. *p.* 680. & in *Wegelini L. c. T. III. p.* 52. IV. *Kurze doch gründliche Ausführung, daſs die Stadt Ulm nicht erst anno* 1346. *unter Kayser Ludovico Bavaro zur Reichs-Immedietät gelanget.* Exstat in *W. F. Pistorii Amoenit. jurid. T. V. p.* 1447. & in *Wegelini Thesaur. Rer. Suevic. T. IV. p.* 106. V. *De Jure Advocatiæ in Civitatem Ulmensem.* Invenitur in *Senckenberg Meditat. juris, fasciculô II.* & recusum in *Wegelino, T. IV. p.* 168. VI. *Observationes historicæ de Nummis quibusdam rarioribus Ulmanis.* Extant in *Actis nov. Erudit. Lipsiens.* ad annum 1736. VII. *Von dem alten Prediger-Kloster zu Ulm.* Repetitur in *Pistorio L. c. T. I.* item (teste *Adelungio*) in *Auserlesenen Arbeiten der Gelehrt. im Reiche. IV. St.* VIII. *Tractatus de Origine, Incrementis, Gestis illustribus, Juribus & Privilegiis peculiaribus Reipublicæ Ulmensis* (de quo vide *Wegelinum T. IV. p.* 51. & 121. IX. *De SSmæ Domûs Austriacæ Principatu in Suevia Observatio historica.* Extat

Franciscus Josephus de & in ZWERGERN itidem

tat in *Supplement. ad nova Acta Eruditorum T. I. p.* 135. & in *Wegelini L. c. T. III. p.* 1. X. *Nachricht von einigen Ulmischen Künstlern und Buchdruckern.* XI. *Corpus Juris publici civitatensis.* Confer, Lector benevole! *Adelungii Fortsetzung - und Ergänzungen des Iöcherschen Gelehrten - Lexicon.*

Dabis veniam, Lector! si hôc locô *Hertensteinio* nonnullos *Eruditorum Augustanorum* jungam, quos eidem ætatis, studiorum, ac dignitatis, denique Argumenti, quod trâctarunt, similitudo atque affinitas junxit. Sunt illi:

Joann. Caspar BRECHENMACHERUS *Augustanus*, quem *Burc. Gotth.* STRUVIUS *doctissimi veteris Sueviæ Scriptoris* titulo decorare non dubitavit, suî memoriam posteris transmisit editâ *Notitia Sueviæ antiquæ ortum & progressum Suevorum ad tempora infelicis cum Francis ad Tolbiacum commissi prælii exhibente. Jenæ.* 1716. Recusâ eodem anno, *Augustæ.* Annexâ *Struviano Corpori Historiæ Germanicæ*, coronidis locô. Rursus impressâ in *Wegelini Thes. Rer. Suevic. T. I. p.* 65.

Dicavit *Noster* hanc suam opellam Senatui *Augustano*, quæ (quod bene notes) *primam* duntaxat partem *Sueviæ antiquæ* complectitur; nam hanc quadrifariam *Noster* divisit, in *Sueviam liberam*: in *Sueviam francicam*: in *Sueviam sub Ducibus*: in *Sueviam variis Rebuspublicis et Statibus distinctam.* Præfata Dissertatio solam *Sueviam liberam* complectitur. Num reliquæ tres partes ab Auctore publicatæ fuerint, dicere nequeo. Confer, si lubet, STRUVII *Biblioth. histor.* et ADELUNG *Ergänz. und Fortsetz. des Iöcherschen Gelehrten Lexicon.*

Jo. Jac. MULLERUS *Augustanus*, *natalium, morum & doctrinæ nobilitate præstantissimus*, Philosophiæ et Theologiæ Studiosus in Academia *Altdorfina* Orationem *perelegantem*, *de Sueviâ profanâ olim Deorum cultrice*, anno 1699. publice habuit, quam reperies in *Wegelini Thes. Rer. Suevic. Tomo I. pag.* 463. Pater *Nostro* fuit itidem *Jo. Jac. Müllerus*, *Ulmensis*, qui *Augustam* sedes transtulit & ibi *Senior Ministerii evangelici* anno 1706.

obiit.

Consiliarius Senatûs *q*): Viri sanè proposito, quod ceperant, perficiundo pares; uti ex iis, quae in *No-*

obiit; de cuius Vita, Scriptis, ac Molestiis, quas ab Adversariis pertulit, videri poterit Liber: *Ministerium evangelicum*. in 4.

M. *Isaias* WEIDIUS *Augustanus* sub praesidio *C. S. Schurzfleischii* anno 1704. *Stricturas Antiquitatum Augustanarum* publicae Disputationi *Wittebergae* exposuit, quas recusas habes in *Wegelini Thesauro Rerum Suevicarum*, *Tomo IV. pag.* 1.

Jo. Gottf. MORELL *Augustanus*, anno 1720. patre natus est *Jo. Georgio*, qui in Republica longiori tempore *Consulatum*, postea *Ædilitatem* gessit, in quo munere etiam decessit, relictis permultis, eleganti et scita manu sua confectis, *Delineationibus architectonicis*: de quo ipso videri potest *Paul. à* STETTEN *junior* in *Erläuterungen der Vorstellungen aus der Geschichte von Augsburg, pag.* 207. Filius, annis auctus, *Altdorfii* Juri discundo operam dedit; ubi *Ge. Frid. Deinlino* praesidente, I. *de Jure statutario Reipublicae Augustanae in genere et speciatim de eo, quod ibi iustum est, circa Obsignationes*, quà Auctor, anno 1743. multo cum applausu disputavit. Recusum habes in *Wegelini L. c. pag.* 48. II. *Scripta processualia* varia adscribit *Nostro* Ge. Christ. *Hamberger* in *Gelehrtes Deutschland*. Editio III. *p.* 749. Fuit Juris utriusque Licentiatus, Comes Palatinus Caesareus, Scriba Censualis, Scholarcha, demum Ædilis.

Jo. Thomas RITTERUS *Augustanus*, J. V. Doctor, Cognatus praecedentis *Morellii*, auditor *C. G. Buderi*, habuit anno 1754. *Jo. Wilh. Dietmaro* praesidente, *Dissertationem de Juribus Civitatum imperialium, praesertim Civitatis imperialis Augustae Vindelicae. Jenae.* Recusa invenitur in *Wegelini L. c. T. IV. p.* 86. Confer *G. Christ. Hamberger gelehrtes Deutschland, p.* 961.

q) *Henricus* MEZGERUS hic est, cui *Jo. Georg. Lotterus* caeptos a se promissosque *Annales Typographiae Augustanae*, *Petropoli* in Moscovia fatis extremis raptus, reliquit. Hos ille ex Bibliothecâ *Collegii evangelici* sollicite auxit: uti et ipse postea *Jacobus* BRUCKERUS noster:

Notis affero, luce meridiana clarius patet. At *societas ista* morte Collegarum aliquot et variis casibus (ut fieri amat) dissoluta cito interiit. Hinc factum, ut nullus ferme Eruditorum *Augustam* transierit, quin BRUCKERUM consalutaret, aut a BRUCKERO consalutaretur. Hinc factum, ut permagnus amicorum numerus ubivis locorum, ubivis gentium *Nostro* esset, quos inter praecipue memorandi videntur: *Pelloutierius* Magdeburgi: *L' Enfant*, *La Croze*, *Beausobre*, *Jordan*, *Ieriges*, et *Formeyus* Berolini: *Buddeus*, *Hallbauerus* et *Walchius* Jenæ: *Hasselius* Guelpherbyti: *Hurterus* Scaphusii: *Schelhornius* Memmingæ: *Pezoldus*, *Gotschedius*, *Leichius*, *Crusius*, *Reiskius* & Joann. Georg. *Lotterus*, postmodum Professor in Universitate *Petropolitana*, Lipsiæ: *Pritius* Francofurti: *Zimmermannus* Tiguri: *Fabricius* et *Wolfius* Hamburgi: *Gesnerus*, *Heumannus*, *Moshemius*, *Hallerus*, *Gebauerus*, *Feuerlinus* et *Jöcherus* Göttingæ, *Ickstadtius*, *Oefelius*, *Lorius* et *Lippertus* Monachii: *Muratorius*, *Du Temps*, et *Lamius* in Italia: *Schöpflinus* Argentorati: à *Scheib* Viennæ: *à Seelen* Lubecæ: *Bernholdius*, *Zeltnerus*, et *Sigism. Jac. Apinus* Altdorfii. Colophonem ad-

ster: item *Paulus à* STETTEN *junior*; donec tandem eos *G. G. Zapfius* annô 1778. orbi erudito dedit.

F. J. de ZWERGERN Vir fuit, testante *Epitaphio, consummatus, labore et amore boni publici et proximi præmature consumptus, J. V. L. Reipublicæ Augustanæ per XX. integros annos Syndicus et Consulens, justitiæ tenacissimus, jurium civitatis propugnator zelosissimus, urbis et civis amor.*

Ad aulas Viennensem et Monacensem Deputatus, aquam et ignem, victum et sal, interdictum unum, præclusum alterum, feliciter reportavit. Obiit anno 1750. *die* 1. *Maji. Ætatis* 50.

addunt tres purpurati Ecclesiæ sanctæ Proceres *Quirinus*, *Passioneus*, et *Quercinus*.

Hos omnes omni officiorum genere devincire sibi studuit BRUCKERUS, conatusque eorum solerter adjuvit; dum eis tum sua ipsius, tum veterum Scriptorum e. g. inclytissimi Marci *Velseri* nostri, Eliæ *Ehingeri*, Davidis *Hoeschelii* extantia in suæ bibliothecæ penetralibus meletemata misit, ut illi eadem suis *Collectionibus* insererent. Certe huius generis quam plurima in SCHELHORNII *Amœnitatibus litterariis*; in Libro: *Critische Beyträge*; in *Miscellaneis Lipsiensibus*, et *Berolinensibus*; in *Actis Societatis Latinæ Jenensis*; in *Tempe* & *Musæo Helveticis*; in *Bibliotheque Germanique*; in MEURSII *Operibus*, editionis *Lamianæ*, *Florentiæ* procusis invenire licet.

Ab his vicissim omnibus et permagni habitus est BRUCKERUS, et crebris honoratus litteris, quarum argumentum non in meris amicitiæ verbis et futilibus honoris testificationibus, sed in eo versabatur, ut vel BRUCKERUS moneretur aliquid, vel moneret ipse, quod e re litterati orbis esset. Inde originem habuit copiosa *Epistolarum* farrago, quam *Noster* in sua bibliotheca sollicite servabat, moriens autem filio suo *Christophoro Henrico* Archigrammatæo commendavit, denique (sicubi hæredem masculum eruditi subsellii superesse nullum contigerit) Bibliothecæ *Collegii evangelici* inferendam, ea tamen lege (quibus de caussis, nescio) semper addita: *Ex illa ne quid vulgaretur unquam*.

Hoc ipsum mecum recogitans ego, in eam adductus sum voluntatem, ut hoc loco paulisper excurrerem, et *tres* integras *Nostri Epistolas*, cum *duarum* aliarum *fragmentis*, interponerem, quas

BRU-

BRUCKERUS ad *Joannem* LAMIUM in *Meursianorum Operum* nova editione adornanda occupatum dedit. Triplex autem me ratio, iſtud ut facerem, impulit. *Primo* ut vel ex his ſolis pateat, quanto litteratorum incæptis velificandi et Rem litterariam provehendi ſtudio arſerit BRUCKERUS, utpote qui, etiam non rogatus, ſed ſua ſponte ac voluntate auxiliatrices doctis Viris manus præbuit. *Deinde* ut Lector, cui parandæ magnæ ac pretioſæ *Meurſianorum Operum* Collectionis facultas deeſt, levi negotio intelligat, quam liberali indole, quam ingenua animi facie BRUCKERUS fuerit. *Denique* ut hac ratione, licet valde exili, damnum exſarciatur, quod Reipublicæ litteratæ ſuprema *Noſtri* voluntas attulit, qua is *Commercium* ſuum *epiſtolare* æternis tenebris conſepelivit. Antequam autem *Epiſtolas* memoratas proponam, juvat afferre ea, quibus operam *Noſtri*, ſibi præſtitam, celebrandam LAMIUS duxit, in *Præfatione Tomi I. pag. XXVI.* inquiens: *Quid autem de doctiſſimo ac clariſſimo Jacobo Bruckero dicam, qui, pro ſua incredibili humanitate, et multum in rarioribus Meurſii libris reperiendis ac inceſſanter laboravit, et ſuſceptam a me provinciam recte luculenterque commendavit?* Hæc LAMIUS — Succedunt *Epiſtolæ* Noſtri. —

I.

Viro Eruditiſſimo, Celeberrimoque Dom. Joanni Lamio Hiſt. Eccl. Prof. et Biblioth. Riccardianæ Præfecto S. P. D. Jacobus Bruckerus, V. D. M. Conſiſtor. et Scholarcha, Regiæ Berolin. Societ. Scient. Membrum.

Miraberis forte, nec immerito, qui fiat, ut homo ignotus prorſus tibi, iſque tanto terrarum ſpa-

tio a te dissitus, inexpectatas ad te dare litteras sub-stineat. Desines vero mirari, ubi et scribendi occasionem et juvandi bonas litteras intentionem perspexeris. Adparuit nuper inter nos scheda, edita a Viris honestissimis Tartini *et* Franchi *bibliopolis* Florentinis, *qua consilium suum edendorum operum* Jo. Meursii *cum erudito orbe communicant, te Operis curatorem produnt, et in primis ab Eruditis ea secum communicanda rogant, quæ ex* Meursianis *scriptis vobis nondum ad manus sunt. Inter ea vidi notatam* Herodis Inscriptionem Græcam *totidem versibus, anno tamen impressionis non addito; quod quidem non miror, paucissimis enim prima visa est* Versio *illa* Latina Meursii *folio integro, fugitivo constans. Ea tamen recusa est in* Germania, Goslariæ. 1608. *in* 8. *hoc titulo*: Inscriptio Vetus Græca, continens dedicationem fundi, ab Herode M. Rege actam, nuper ad urbem Romam in via Appia effossam, cum Isaac. Casauboni notis. *Adjecta est interpretatio Latina, ligata et soluta oratione; et ligata quidem per* C. Rittershusium, G. Remum, Jo. Meursium, Mich. Piceartum, *et* Mart. Beremium; *disparuit tamen et hæc, ut hi solent libelli, editio. Est vero inter reculas meas prima celeberrimi* Casauboni *editio, tribus foliis formæ majoris, sine mentione loci et anni impressa; quam nomine suo insignem et notatam transmisit celeberrimo* Augustano, *Bibliothecario* Davidi Hoeschelio. *Hanc non ipse tantum* Hoeschelius, *Vir Græce doctissimus, cum alia descriptione contulit, suisque adnotationibus sua manu in eo, quo utor exemplari, auxit, et inde editionis* Casaubonianæ *textum emendavit; sed adjecta quoque est, versio* Latina *totidem versibus Latinis reddita, et ipsius* Meursii *manuscripta,*

ta, *adeoque* αὐτόγραφον *eius*, *quam requiritis*, Inscriptionis. *Quum itaque bibliopolæ communia doctorum Virorum auxilia rogaverint*, *non ineptum judicavi*, *si hæc vobis innotescant*, *et sciatis inde*, *me ad juvandum præstantissimum conatum lubenter* Meursianam *versionem* αὐτόγραφον *cum* Casauboniano *textu et* Hoeschelianis *observationibus*, *vobiscum communicaturum*, *modo de commodò tutóque perferenda illa*, *sine meis sumtibus*, *et de recte restituenda*, *bibliopolæ prospexerint*, *et per nostratem quempiam mercatorem vel bibliopolam caverint*. *Ceterum possideo ego inter suppellectilem meam librariam* Meursiana *sequentia*, 1. Miscellanea Laconica, 2. Themidem Atticam, 3. *de* Fortuna Attica, 4. Cretam, Rhodum, Cyprum, 5. Æschylum, Sophoclem, Euripidem. *Quoniam vero vel in bibliopoliis adhuc supersunt*, *vel n.* 3. *et* 5. Thesauro Gronoviano *inserta adeoque vobis jam præsentia*, *illis opus esse vix credo*; *patebunt tamen vestris usibus*, *dicta ratione*; *ubi desideraveritis*. *Ceterum dedit anno* 1717. *Vir Cl.* Jo. Val. Schrammius *dissertationem sive libellum Academicum*, de Vita et Scriptis Jo. Meursii *Patris*, *ubi diligenter*. *et edita et inedita scripta recenset*, *notatis illorum editionibus*, *horumque*, *ubi adservantur quædam*, *locis*. *Quum vero eiusmodi libelli raro patriæ suæ*, *certe* Germaniæ *fines excedant*, *vosque hic ipse sine dubio lateat*, *dabo quoque*, *ubi desideraveris*, *operam*, *ut eius ex mea penu libraria copia fiat*. *Quod reliquum est*, *multum tibi debebit Orbis litteratus*, *Vir Cl. de suscepto hoc opere*: *præcipue*, *ubi observationes adjectæ fuerint*; *solebat enim* Meursius, *conjicere potius Collectanea sua*, *quam ea accurato ratiociniorum nexu disponere*; *unde multa perperam intellexit*; *Vir*

cetera doctissimus, multa sibi imponi passus est, cuius generis sunt, v. g. quando in Themide Attica, *leges in Rhetorum Scholis subinde fictas inter leges Atticas veras refert. In primis Diss.* de Denario Pythagorico *multa luce indigent; imparatus enim erat Vir doctissimus ab Historia Philosophiæ veteris, quæ mihi ratio fuit, cur peculiari dissertatione* de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis (*quæ in* Amænitatibus litterariis Cl. Schelhornii T. VII. *extat*) *lucem eidem passim fœneratus sim. Verum de his tu, Vir celeberrime, non monitus optime dispicies, et qua ratione tuo, et bibliopolarum, desiderio velificare queam, nisi grave est, mature per litteras indicabis, quæ vel ad* Ulmensem *bibliopolam* Bartholomæi, *vel ad* Augustanos Merzium *et* Mayerum, *vel ad* Augustanum *Bibliothecarium, Dom.* Phil. Jac. Crophium *directæ (vicini enim sumus* Augustæ, *et ipse ego patria* Augustanus) *vel etiam recta via per cursorem publicum ad nos, qui proximi Alpibus habitamus, accurate ad me pervenient. Quod si felici hac occasione viam ad vos quædam transmittendi reperero, adiiciam, si pace tua fieri queat, unam alteramque Scriptionum mearum; modo locum inter meliores meruerint. Vale. Scribebam Id. Mart. A. S. R. MDCCXXXVI.* Kaufbyræ *in* Algovia.

II.

Viro Ampliss. et Eruditiss. D. Jo. Lamio S. P. D.
Jacobus Bruckerus.

Gratum fuit, atque jucundum, V. C. ex humanissimis tuis ab amplissimo Koepfio *Augustano recto tempore ad me curatis intelligere, non displicuisse*

tibi

tibi meam qualemcunque officiosæ voluntatis significationem; cui enim non erit volupe, Viro doctissimo in promovendis honestissimis desideriis velificare? quis non tibi, Vir præstantissime, quantum pote auxiliatrices manus jungat, qui tam laudabili conatu de Republica litteraria mereri satagis? Ut itaque voluntati tuæ fiat satis; ecce rarissimam editionem Inscriptionis fundi ab Herode dicati; *ecce venerabiles manus* Casauboni, Hoeschelii, Meursii, *magnorum inter eruditos heroes nominum; ecce* αὐτόγραφα *Versionis* Meursianæ, *olim a magno hoc Litteratore ad* Davidem Hoeschelium *nostrum transmissum, quorum omnium describendi, edendi, vestroque Operi inserendi, tibi facultatem copiamque facio; ita tamen ut ad futurum SS. Angelorum festum, sive initia Autumni, sarta tectaque omnia ad me redeant, de quo Amplissimus* Koepfius *fidem suam interposuit. Adjicio etiam desideratam, et quod facile crediderim, frustra quæsitam, dissertationem* Schrammii, de Vita Jo. Meursii, *Patris;* δῶρον *loco a me accipias, retineasque rogo. Ex meis commentationibus forte nonnulla lux accendi potest* Meursianæ *dissertationi* de Pythagoreo denario, *quæ scriptio, inter Collectanea satis confuse digesta, silva sine ordine et luce est. Adjicio itaque eam quoque commentationem* de numeris Pythagoræ, *quam* Tomo VII. Amoenitatum litterariarum *inserui, quamque retinere quoque licebit: videbis ipse, num aliquid in ea ex re tua sit, dignum quod* Meursiano *schediasmati adparetur, cuius plenum tibi judicium, et potestatem facio: certe sine eiusmodi explicatione obscurus manebit* Meursianus denarius. *Addo vero et* Historiam *meam* de ideis, *exiguum donarium, ante plures annos jam editam, cuius multa additamen-*

ta ad manus habeo. Utinam tibi vernacula nostra satis esset cognita, ut vastum Historiæ Philosophico-criticæ *opus, quod per partes hactenus edidi, et nuper absolvi, legere posses! Quantum esset, quo me ex oris vestris juvare posses? Erit tamen, quod ex tua eruditione in posterum meliora edocendus quæram, si ea mihi licuerit felicitate uti, ut continuetur nostrum litterarium commercium. Borealium Eruditorum favorem, et in juvando instituto tuo diligentiam impense gratulor: ita ferunt et regionis et religionis nostræ mores et habitus, ut magnam in edendis et juvandis Viris bonis voluptatem ponamus. Vale, Vir celeberrime! et si lubet, de recte tradito fasciculo, quamprimum licet, me edoce. Scribebam* Kaufbyræ *Prid. Cal. Jun. MDCCXXXVI.*

III.

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Celeberrimo D. Joanni Lamio in Acad. Florent. P. P. famigeratissimo, S. P. D. Jacobus Bruckerus.

Recte ad me his diebus, curante generosissimo Koepfio *nostrate, redierunt transmissa folia,* Inscriptionem Herodianam *complectentia, quæ non ingrata tibi advenisse lætus ex humanissimis tuis perspexi. Gratulor mihi, me obstetricante folia ista, amplissima collectione tua non indigna ob famam virorum, quorum manum et mentem de ea exhibent, in tuas manus devenisse, oblivioni ita subtrahenda. Faxit Numen, ut animi, corporisque viribus integer, et valentissimus tum huic, tum reliquis, quæ meditaris, Operibus præesse valeas, sicque æternitatem nominis diu jam bene meritis partam laudibus augeas et multiplices. Quod certe in his* Germaniæ *nostræ oris*

eo

eo certius futurum est, quo magis Eruditi nostri (quam nostri seculi felicitatem puto esse) in pretio eruditioni statuendo æqui, tuæ eruditionis honorem hactenus deprædicarunt, inter quos Lipsienses *in foliis hebdomadariis, quibus res gestas eruditi Orbis in modum Novellarum, quas vocant, indicant, conatus tuos mature indicarunt, et jam nupero Augusto mense consilium edendorum* ἀνεκδότων *recensuerunt. Ego vero tibi morem gesturus illius exemplum tum ad Bibliopolam* Augustanum Dav. Raym. Merzium, *tum ad* Ulmenses Bartholomæos *patrem et filium, hodie mittam, qui quum* Italiæ *vestræ propiores sint, facile tecum commercium litterarium inibunt, modo ipse ad eos hac de re scribas: ita enim eos simili consuetudine uti cum* Argelato Mediolanensi, *et* Venetis *Bibliopolis*, Herzio *aliisque, satis novi. Quod vero laudans schedas meas tam prolixa benevolentia dignaris, facis quidem, quod tua virtus, et præstantia in se pollicetur; et de quo maxime mihi gratulor, amor erga me immeritus suadet; oneras vero admodum pudorem, et modestiam meam, qui me laudibus tuis longe inferiorem satis sentio. Erunt tamen illæ mihi calcaris instar, ut si non attingere earum culmen valeam, certe non desidens fuisse in ostenso virtutis, et diligentiæ campo emetiendo censear. Velim tamen, ut, quod futurum spero, sæpius ad me scripturus parcius istis erga me utaris, certus nihil mihi magis curæ esse cordique, quam curtæ supellectilis cognitionem, et ingenuam confessionem. Doleo vero valde te nostræ linguæ usu destitui, in qua nostri seculi more pleraque mea conscripsi; ut haberem, quæ porro ad te mitterem. Sunt quoque multa, quæ passim in* Diariis eruditis *interspersa sunt, quorum omnium hic habes notitiam, parem, si ita commo-*

mo-

modum est, de eruditissimis lucubrationibus tuis mihi facturus. Quod vero non humanitate solum, sed et liberalitate erga me uti vis prorsus singulari, totum me tuo æri reddis devinctissimum. Notabo candido lapillo diem, qui me tuis doctissimis lucubrationibus beabit, et Bibliothecula meæ novam ex egregiis lucubrationibus induet superbiam. Tu modo, Vir eruditissime, impera, qua ratione tibi porro usui commodove studium meum, tibique inserviendi diligentia esse queat, et favore tuo, quod facis, dignare porro me tibi devotissimum. Vale. Scrib. Idib. Octobr. A. S. R. MDCCXXXVI.

Fragmenta duo

I.

Sed quid Meursius? An recte procedit Opus, quo immortalitatem mereberis? Hæc BRUCKERUS in Epistola data Calend. Januar. MDCCXXXVIII.

II.

Interim, quum anxie desiderares aliquot libros Meursianos, *quos frustra in Italia quæsivisti, omnem movi lapidem, omnem pulsavi januam, ut tuis desideriis velificarem: sed (quod doleo) hactenus frustra, ob insignem raritatem eorum. Tandem non sine gaudio, precio precibusque, ex Bibliotheca quadam Viri alicuius celeberrimi extorsi:* Hesychii Milesii Viri illustris Opuscula, partim hactenus non edita. Jo. Meursius Græce ac Latine primus simul vulgavit cum notis. *His adjecta* Bessarionis Epistola Græcobarbara. Lugd. Bat. 1613. *Continet libellus utrumque, quem desideras, tractatum:*

tum: De Viris doctrina claris, *et*: De Rebus Patriis Constantinopolitanis; *sed pretium libro rarissimo statutum est quatuor thalerorum imperialium; id quod tibi significandum antea duxi, ut per aliquem nostratium soluta illa pecuniæ summa librum accipias. Rogo itaque, ut prima occasione rescribas, et quo modo liber a te tantopere desideratus queat transferri, indices. Reliquorum curas etiam amicis commendavi, si fuero nactus, extemplo significaturus.* Hæc *idem* in Epistola scripta 16. Calend. Decembr. MDCCXXXIX *r*).

r) Istas *Nostri* Epistolas LAMIUS in *Præfat.* ad *Jo. Meursii Opp. Florentiæ* procusa exhibuit. Menda, quæ eò irrepserunt, Lector facile emendabit.

Jam tempus monet intermissæ orationis filum resumere, et, quod residuum est, narrare: videlicet quantum honoris, post viros privatos, integræ etiam Academiæ ac Sodalitia docta in Nostrum contulerint; quæ Collegam habere eum certatim ambiverunt. Sic anno 1731. regia Academia scientiarum *Berolinensis* inter membra sua adscripsit. Sic anno 1736. Societas Germanica *Lipsiensis* Collegam adoptavit. Sic anno 1743. Sodalitas Latina *Jenensis* suum esse voluit. Sic anno 1747. Academia Scientiarum *Bononiensis* in album sociorum retulit. Sic anno 1748. Societas Germanica *Göttingensis*, electoralis Academia *Monacensis* in Bavaria, Sodalitas litteraria *Duisburgensis*, et *Roboretana* civibus suis annumeraverunt.

Quàm autem hac Eruditorum amicitia, quàm his honorum testificationibus universis dignus extiterit BRUCKERUS, evidentissime commonstrabit *Catalogus* Operum ab eo publicatorum, quem

ut

ut absolutissimum et omnibus perfectum numeris dem, pro virili allaborabo. Ecce illum! —

1. *De Pyrrhone à Scepticismi universalis macula absolvendo.* Vide, quæ superius in *Vita* p. 4. de hoc meletemate monui. Extat in *Miscellaneis Lipsiens. T. V. p.* 236. & in *Miscell. Historiæ philosoph. litterar. critic.* a *Nostro* editis *Augustæ*. 1748. quæ consulas velim. *p.* 2. (*n. a*).

2. *Q. Curtius Rufus adolescentibus ad imitandum non proponendus.* Reperitur in *Miscellan. Lipsiens. T. IX.* et *in Miscellaneis* Nostri, 1748. *p.* 601.

3. *Observatio exegetica in locum Joannis XII*, 32. s) habetur *in Miscellan. Lipsiens. T. X.* reimpressa in *Miscell.* Nostri 1748. *p.* 563.

4. *Tentamen Introductionis in Historiam doctrinæ logicæ de Ideis.* in 4. *Jenæ.* 1719. rursum *Augustæ.* in 8. 1723. hoc titulo: *Historia philosophica doctrinæ de Ideis, quâ tum veterum, inprimis Græcorum, tum recentiorum Philosophorum placita enarrantur.* Dicaverunt editionem istam bibliopolæ *D. R. Mertz* & *J. J. Mayer*, haud dubie *Nostri* stylo & opera usi, permagni nominis Viro, *Christoph. Ottoni* Comiti & Domino *ab* & *in Schallenberg*, Constantiensis & Augustanæ Ecclesiæ cathedralis respective Præposito & Decano: *quem totus orbis eruditus Antiquitatis æstimatorem & cultorem doctissimum suspexit: cui ob inexplebile studium codices græcos nocturna versanti manu, versanti diurna illud proverbium*: Græcia Alpes transvolavit, *hoc addito*: & in ædes Schallenbergianas immigravit, *accommodari potuit*: *cuius palatium Palladis atrium & Litteratorum Palladium apud omnes audivit*

s) ADELUNGIUS l. c. titulum sic effert: *De Christo Signifero.*

vit &c. &c. Ad hanc *Historiam*, quam Eruditi *Lipsienses* in *Actis* suis ad annum 1723. recensere non omiserunt (ubi etiam videsis) pertinent sequentia *duo*.

5. *Schediasma historico-philosophicum de Convenientia Numerorum Pythagoræ cum Ideis Platonis*, *Supplemento* Historiæ de Ideis *inserviens*, quod reperitur in *Schelhornii Amœnit. litter. T. VII. p.* 173. et in *Miscellan.* Nostri. *p.* 56.

6. *Supplementum II. ad mox dictam Historiam, varia* παραλειπόμενα *et Observationes complectens.* Habetur in *J. G. Schelhornii Amœnit. litter. T. VIII. p.* 299. Recusum cum novis accessionibus extat in *Miscellaneis* Nostri *p.* 110.

7. *De Comparatione Philosophiæ gentilis, cum Scriptoribus sacris & Religionis christianæ dogmatibus, caute instituenda.* in 4. *Jenæ.* 1719.

8. *Meditationes philosophicæ de falsa Virtute, exemplo Alexandri M. illustratæ. Jenæ.* 1720. Rursus recusæ cum *Miscellan.* Nostri. 1748. *p.* 12.

9. *Præfatio*, sermone vernaculo scripta, *de Scriptoribus Rerum Turcicarum.* Habetur ante: *Van Driesch Gesandtschaft an den Grossultan.* 8. *Augsburg.* 1722.

10. *Præfatio*, sermone vernaculo scripta, *de Scriptoribus Historiæ Augustæ.* Extat ante: *Leben der Römischen Kaiserinnen.* 8. *Augsburg.* 1723. de quo libro dicere pergo.

11. *Leben der Gemahlinnen der ersten XII. Römischen Kayser*, ex Gallico *D. de Servies.* Volumina II. *Augsburg.* 1724. in 8.

12. *De Vita et Scriptis Eliæ Ehingeri Commentatio, qua haud pauca Historiam litterariam, præsertim Augustanam, illustrantia adducuntur.* in 8.

Augustæ Vindel. 1724. Dicavit *Phil. Jac. Crophio* Gymnasii *Annæani* Rectori, Præceptori quondam suo, in cuius laudes fusè excurrit, haud immemor discipulus. Ad scribendam autem hanc *Commentationem* maxime *Nostrum* excitavit, quod in manus suas incidissent duo iustæ magnitudinis Volumina, in quibus, præter Opuscula *Eliæ* magnam partem inedita, varia comprehendebantur, quibus *Ehingeri* Vitam illustrari posse putabat. Communicarat quoque *Conrad. Casp. Ehingerus*, Medicus et Physicus Augustanus, plura cum *Nostro*: quibus ille subsidiis munitus Operi conscribundo manum admovit, in cuius calce addidit quædam ex Schedis *Ehingeri* nondum edita. Fuse de hoc Libello agunt *Eruditi Lipsienses* in *Actis* suis ad annum 1725. quæ consule.

13. *Additamenta quædam Nostri ad præcedentem Vitam* exhibet *J. G. Schelhornius* in *Amœnit. litter. T. VIII. p.* 646.

14. *Dissertatio epistolica de MSS. quod* Georgius Remus *t*) *in IV. Libros Regum exaravit*, *ad Sigismundum Jacob. Apinum* Professorem *Norimbergensem.* in 4. *Augustæ.* 1724. Recusa in *Miscellaneis* Nostri 1748. *p.* 474.

15. *Electa epistolica ex commercio Virorum doctissimorum cum Theophilo Spizelio &c. u*) Habentur in *Schelhornii Amœnit. litterar. T. V. p.* 202. & auctiora in *Miscellan.* Nostri *p.* 258.

16.

t) V. *Bibliothecæ* meæ *Augustanæ Alphabetum I.* v. *Remus.*

u) Vir doctus *Augustanus*, de quo alibi â me dicetur.

16. *Antiquorum, quae Augustae Vindel. extant, Monumentorum à* Marco Velsero x) *editorum Supplementum, ab ipso Auctore collectum, ac jam primum ex Codice Velseriano editum à Jac. Bruckero.* Reperitur in *Schelhornii Amœnit. litterar. T. V. p.* 116. Recusum habes in *Miscellan.* Nostri. *p.* 585. & denuo in *Jo. Reinh. Wegelini Thes. Rer. Suevic. T. IV. p.* 8.

17. *Notitia rarissimae Versionis germanicae Libri Psalmorum à D.* Ottmaro Nachtigallo *sive* Luscinio *confectae.* Habes eam in *Schelhornii Amœnit. litter. T. VI. p.* 455. Iterum in non paucis mutatam & emendatam in *Miscellaneis* Nostri, *p.* 302.

18. *Epistola de Providentia Stoica ad J. G. Schelhornium, Amicum jucundissimum.* Invenitur in eiusdem *Amœnit. litterar. T. VIII. p.* 443. & in *Miscellan.* Nostri, *p.* 147. ubi monet, hanc explicandae *Providentiae Stoicae* rationem V. Cl. *Buddeo* placuisse.

19. *Dissertatio de Vita & Scriptis Achillis Pirminii* Gassari *Lindaviensis, Medici et Poliatri Augustani.* Vide in *Schelhornii Amœnit. litter. T. X. p.* 987. & in *Miscellan.* Nostri, *p.* 409.

20. *Analecta ad Vitam* Matthiae Schenckii y) *Primarii Scholae Annaeanae, Augustae.* Reperiuntur in *J. G. Schelhornii Amœnitat. litter. T. XI. p.* 362.

x) V. *Bibliothecae* meae *Augustanae Alphabetum II.* ubi tum huius tum ceterorum *Velserorum* doctrinae laudes prolixe exposui.

y) Scilicet *Schelhornius Amœnit. T. X.* recudi fecerat *Epistolam Schenckii*, qua *Vitam* ipse suam *Hier. Wolfio* descripserat. Ad hanc itaque referri debent dicta *Analecta.* Postea vero *Bruckerus* Vitam *Schenckii* ex eadem *Epistola* dedit usus *Analectis* istis, inseruitque *Miscellaneis* suis, de quibus sermo *inferius* recurret.

21. *Elogium illustris Viri* Lucæ Schroeckii *Medicinæ Doctoris &c.* Extat in *Schelhornii Amœnit. litterar. T. XIII. p.* 1. et in *Miscellan.* Nostri, *p.* 486.

22. *De Stratonis Lampsaceni Atheismo, ad V. Cl.* Jacobum Zimmermannum *Tigurinum Dissertatio epistolica.* Vide *Schelhornii Amœnit. litter. T. XIII. p.* 311. et *Miscell.* Nostri. *p.* 154.

23. *De Vestigiis Philosophiæ Alexandrinæ in Libro Sapientiæ.* Extat in *Miscellaneis Berolinensibus. T. VI. p.* 150. et in *Miscell.* Nostri, *p.* 187.

24. *De Secta Elpistica.* Extat in *Miscell. Berolinensibus, T. V. p.* 223. et in *Miscellaneis* Nostri. *p.* 164. ubi *Noster* addit: hoc meletema nec illustri Societati *Berolinensi*, nec Viris passim doctis displicuisse.

25. *Balthasar Gracian Kluger Welt- und Staats-Mann.* in 8. *Augsburg.* 1729. Ita Titulum Libri *Theoph. Georgius* in: *Europæisches Bücher-Lexicon*, proponit. *Adelungius* autem sic: *Der vollkommne Mensch, aus dem Spanischen Balthas. Gracians, nach der Französischen Uebersetzung des Franz Courbeville.* Addidit *Noster* Præfationem de Rebus *Graciani.*

26. *Otium Vindelicum, siue Meletematum historico-philosophicorum Triga.* in 8. *Augustæ Vind.* 1729. In *primo* meletemate *de Comparatione Philosophiæ gentilis, cum S. Scriptura &c. caute instituenda*, fusius emendatiusque, quam anno 1720. egerat, agit. In *secundo* criticis Observationibus adversus *Anonymi* cuiusdam *Galli Historiam Philosophiæ ethnicæ*, 1724. editam, quam necessaria cautio ista sit, ostendit. In *tertio* enarrat honores, sapientiæ auctoribus & doctoribus apud Barbaros & Græ-

cos

cos post fata tributos. Vide *Acta Eruditor. Lipsiens.* ad annum 1729. *p.* 283.

27. *Concio vernacula,* habita in memoriam *Jubilæi II.* â præsentata Carolo V. *Confessione Augustana.* 1730. Tribuit *Nostro* Liber: *Ministerium evangelicum.*

28. *Concio vernacula*, habita anno 1731. die 28. Decembr. quando *Salisburgenses Emigrantes* (Hoc nomine vocabantur) *Kaufburam* transiverunt. Extat in Opere: *Sammlung der vornehmsten Schriften das Salzburgische Emigrations - Wesen betreffend.* fol. *Augsburg.* 1732 *).

29. *Dissertatio de Calaucau Basilidianorum.* Extat in *Musæo Helvetico*, *T. I.*

30. *Observatio exegetica ad locum Pauli*, *Ephes. II.* 1. 2. Reperies in *Tempe Helvet. T. II.* & in *Miscell.* Nostri, *p.* 569.

31. *Incunabula Typographiæ Augustanæ.* Habentur in laudato *Musæo Helvetico* z).

32. *De Meritis Suevorum in renascentes litteras Latinas.* Vide *Acta Societatis Latinæ Jenensis.*

33. *Programma* vernaculum *de Meritis Gentis Fuggeriadæ in litteras*, editum linguâ vernaculâ, anno 1732. *Kaufburæ* & præmissum *Orationi*, quam de *Georg. Hermanno* Wolfg. Ludov. *Hermannus* Kaufburæ habuit. Hoc ipsum multîs auctum & latina veste indutum denuo in *Miscellan.* suis, *p.* 391. exhibuit *Noster.*

*) *Non est dubio locus, plures* Conciones *â* Nostro *excusas haberi: sed has fusius referre, parum attinet.*

z) De *Typographia Augustana* vide meam *Diatriben* præfixam *Annalibus* eiusdem, â *G. G. Zapfio* editis, in 4.

34. *Nachricht a) von Stephani Forcatuli Buche*: de Gallorum imperio et philosophia Gen. 1595. *Nachricht von dem Augspurgischen geschriebenen Deutschen Rechte, das unter dem Namen des Stadt-Buches im Iahre* 1276. *zusammen getragen, und von Rudolph dem ersten bekræfftigt worden b). Abhandlung von einigen alten Deutschen Vberfetzungen der H. Schrift. Titi Livii dess allerredtsprechsten vnnd hochberümtesten Geschicht-Schreibers Roemische Historien verdeutscht durch Nicolaum Carbachium und Jacobum Micyllum, Maynz.* 1533. *Jesuwald Pickharts Bienenkorb des Heil. Röm. Immenschwarms. Christlingen.* 1601. *Anmerkung über die Erklärung alt-deutscher Schrifften, aus noch übrigen Provinz-wörtern und besonderer Mundart, zumal des Ober-Schwabens. Arzneybuch, Augspurg.* 1479. *Joannis Stobæi Scharffsinnige Sprüche aus den Schriften der Griechen, durch Georg. Frælich c) verdeutscht.* 1550. *Valerius Maximus* ver-

a) Præsenti *N.* 34. comprehensæ Commentatiunculæ *vernaculæ* cunctæ inveniuntur in Libro, celebris GOTSCHEDII auspiciis vulgato hac epigraphe: *Beyträge zur critischen Historie der deutschen Sprache.* 1732. *Tomo IV. VI. VII. & VIII.* Post aliquot annorum spatium edens curis *secundis Noster* sua *Miscellanea latina*, de quibus *inferiùs* dicam, instituerat eis etiam hæc sua *Miscellanea germanica*, additis paucis aliis, *peculiari volumine adjicere*; sed cum jam sola *latina* justæ magnitudinis librum implevissent, satius duxit, illa *vernacula* penitus omittere; quod in Opere noto & omnium manibus trito (puta, supramemorato *Gotschedii*) facile inveniri possent.

b) Hanc Commentationem etiam *J. R.* WEGELINUS suo *Thesauro Rer. Suevic. T. IV. p.* 35. accedere jussit.

c) De hoc aliisque Scriptis *Frælichii* & *eiusdem* Vita egi in *Alphabeto I.* meæ *Bibliothecæ Augustanæ*.

verdeutscht. Augsp. 1489. *Nachricht von der Beschaffenheit der Deutschen Sprache und deren Schreibart bey den Rechtsgelehrten vor dem sechzehnten Jahrhunderte. Versuch einer deutschen Übersetzung von Johannis Stobæi Sammlung auserlesener zur Naturlehre gehöriger Lehr-Stücke. Anonymus de orthographia Germanica aut potius Suevica. Eine hübsche History wie Lucius Apulejus in Gestalt eines esels verwandelt und verkehrt ward. Nachricht von der versprochenen Ausgabe des Augsburgischen Stadt-Buches. Severini Boëthii bedencken wie man sich bey vordringendem Gewalt und Wohlergehen der Gottlosen zu verhalten habe, verdeutscht. Nurnb.* 1660. *Xenophon von dem Leben und Heerzuge Cyri in gut Deutsch verordnet von Hier. Boner.*

35. *Lettre sur l' Atheisme de Parmenide, traduite du Latin.* Extat in Libro: *Bibliotheque germanique, T. XXII. p.* 90-98. Dederat *Noster* hòc meletema, unà cum altero *de Stratonis Lampsaceni Atheismo* (Vide superius *N.* 22.) ad *Jo. Jac. Zimmermannum* Tigurinum, qui Apologiam pro Viris magnis, Atheismi accusatis, meditatus fuerat; sed quòd vir doctus, qui in linguam Gallicam traductum memoratæ *Bibliothecæ* inseruit, in rei summa mentem *Bruckeri* non satis assecutus esset, maluit is eam, in *Miscellaneis* suis, utpote habitu peregrino indutam omittere, quam refingere totam et novam dare; eo magis, quod interea temporis in *Historia critica Philosophiæ* de *Parmenide* sufficienter disseruisset.

36. *Kurze Fragen aus der Philosophischen Historie von Anfang der Welt bis auf die Geburt Christi, mit ausführlichen Anmerkungen erläutert.* in 12. Vol. VII. *Ulm.* 1731.-1736. Dicavit *Noster* re-

giæ *Porussicæ Academiæ Scientiarum.* Vide *Acta Eruditorum Lipsiensium*, ad annum 1731. et *seqq.* Ad hoc Opus pertinent sequentia duo.

37. *Auszug aus den kurzen Fragen aus der Philosophischen Historie.* in 12. *Ulm.* 1736. Iterum cum additionibus, *Ulm.* 1752. in 8. De hoc Libro *Jo. And.* FABRICIUS in *Abriß einer allgemeinen Historie der Gelehrtheit*, *P. I. p.* 338. testatur: *Bruckeri Compendium Quæstionum ex Historia philosophica, liber est omnibus tyronibus utilis.*

38. *Neue Zusäze verschiedener Vermehrungen, Erläuterungen, und Verbesserungen der kurzen Fragen aus der Philosophischen Historie.* in 12. *Ulm.* 1737. Consule *Acta Eruditorum Lipsiens.* ad annum 1738. *p.* 238.

39. *Historia Vitæ Adolphorum* OCCONUM . . *ad illustrandam rem litterariam & medicam Sæculi XVI. comparata.* in 4. *Lipsiæ.* 1734. Dicavit *Joann. Thomæ de* RAUNER *&c. &c. Musarum Mecænati summo*, gratam de præstitis sibi, *olim litterarum studiis innutrito*, pluribus beneficiis mentem testaturus. Nuncupatoriæ succedit *Prolusio de Medicis Augustanis Sæculo XVI. celebribus* *) Sequitur *Vita trium Occonum*, quam potissimam partem ex *Collectaneis* a memorato *Wolfg. Jac. Sulzero* sibi, sanitatis curandæ caussâ *Augustæ* quondam hærenti,

*) *Prolusio* hæc, utut perdocta et plena eruditionis litterariæ, multum tamen inferior (nisi me fallant omnia) est iis, quæ ego in præsenti *Alphabeto* de Medicis Augustanis Sæculi XV. et XVI. affero sub speciali titulo: *Iatrologia Augustana &c.* sicque effectui datum puto, quod *Bruckerus* ipse monuit, dicens: *Habes hic, Lector! brevem Medicorum Augustanorum, qui Occonibus coævi fuerunt, notitiam, cui plura facile addet, plenioraque dabit, cui occasio tempusque suppetunt &c. &c.*

ti, gratiose communicatis dedit; quin tamen, quae ipsemet observarat, addere omiserit. Ad calcem habetur *Lucae* SCHROECKII *Hygea Augustana*, *seu Memoria saecularis Collegii Medici Augustani*, cuius edendae Auctor, dum in vivis fuit, licentiam *Nostro* concesserat. Claudit Opus *Epistola Jo. Georg.* LOTTERI superius nominati, quem *Noster* huius meletematis sui typis edendi procuratorem *Lipsiae* constituerat, plena urbanitatis et amicitiae, lectu ob id apprime jucunda, quod fortunam in Eruditorum quoque orbe interdum, veluti in aliis, pro arbitrio dominantem, et in lucubrationes solide elaboratas ac sale condîtas, quam in futiles *Suffenorum* scriptiunculas, iniquiorem bellè accusat.

40. *David* LANGENMANTEL *Historie des Regiments in der H. R. Reichs-Stadt Augsburg.* fol. c. fig. *Augspurg.* 1725. Laudant hoc Opus *Eruditi Lipsienses* in *Actis* suis ad annum 1728. *p.* 176. Congessit illud *David Langenmantel senior*, Duumvirisque et Senatui Augustano sacravit: *Nostro* autem commendavit edendum; qui etiam illud novis et gravis momenti documentis auctum vulgavit, monens in *Praefatione*, se suam *de Advocatia Augustana* Dissertationem *Miscellaneis Berolinensibus* inseri curavisse. Vide *inferius*, ubi de *Miscellaneis Nostri* ago. Editio (vel reipsa, vel titulô solô reimpressô) *secunda* prodiit *ibidem* anno 1734.

41. *Dissertatio epistolica de Meritis in Rem litterariam, praecipue graecam, Davidis Hoeschelii ad Philipp. Jac. Crophium, socerum suum.* Extat separatim excusa *Augustae*: in 4. 1738, item inserta *Tempe Helveticis. T. IV. p.* 469, item aucta et emendata in *Miscellaneis Nostri p.* 444.

42. *Synopsis Vitæ Hieron. Wolfii, Ephori Gymnasii San-Annæani, ab ipsomet scriptæ.* Vulgavit *Noster* anno 1739. separatis schedis. Transiit ex his in *Tempe Helvetica, T. IV. p.* 503. Inseruit etiam *Noster* suis *Miscellaneis, p.* 352.

43. *Pinacotheca Scriptorum nostra ætate litteris illustrium, exhibens Auctorum eruditionis laude scriptisque celeberrimorum, qui hodie vivunt, Imagines & Elogia. Vitas, Scripta, litterarum Merita recensuit Jacobus* BRUCKERUS: *Imagines ad archetypa ære accurate expressit Joann. Jacob.* HAIDIUS &c. in fol. *Augustæ Vindel.* 1741. & *seqq. Decades X.* quibus postea accessit *Supplementum* sive *Appendix undecim* alias *Effigies* complectens, quâ Opus clauditur, quin ulterius continuatum fuerit. Vide *Acta Eruditorum Lipsiensium* ad annum 1743. Criticorum alios ægre habuit, quod *Noster* Eruditos partis Catholicæ multis laudibus extulerit: aliis displicuit, quod encomiasten potius, quam biographum egerit; quas accusationes *Noster* et præsensisse videtur, et in antecessum elisit, ad calcem *Præfationis* monens: *Illud maxime cogitare Lectorem benevolum jubemus, non esse nobis hunc animum, Historiam quamdam litterariam edere (illa enim alios fines aliasque rationes postulat) sed delineare nos velle Virorum scriptis nostra ætate illustrium faciem non corporis tantum, sed et animi atque eruditionis.... Non quærenda itaque est in his paginis historia critica controversiarum, quibus nonnulli in litterato orbe innotuerunt, nisi quousque illa instituti præsentis caussâ taceri omnino non poterat.... Eos quoque, qui infirmitatum potius, et lapsuum, quos magni quoque interdum Viri (ut sunt homines) inter summas virtutes patiuntur, enarra-*

ra-

tatione delectantur, quam eruditionis, virtutum atque meritorum eorum conspectum intuentur: et hoc nostro scopo non contenti, partis aliquod studium nobis forte exprobrabunt, rogatos volumus, ut nos nostro fine laboreque honestissimo frui patiantur, sintque memores, hanc Pinacothecam nomini famæque doctrina partæ celeberrimorum Virorum destinatam esse, nosque promerita honoris monumenta excitare hoc nostro studio illis voluisse &c. &c. Prodivit idem Opus etiam *germanice* Titulo sequenti:

44. *Bildersal itzt lebender und durch Gelahrtheit berühmter Schriftsteller, in welchem derselbigen nach wahren Original-Mahlereyen entworfene Bildnisse in Kupfer vorgestellt, und ihre Lebensumstände um die Wissenschaften und Schriften aus eingesandten Nachrichten verfasset und erzählet werden.*

45. *Historia critica Philosophiæ a mundi incunabulis ad nostram usque ætatem deducta.* in 4. *Lipsiæ.* 1742. *Tomi IV.* in *V. Voluminibus.* Post edita sermone vernaculo tria Opuscula *superius N.* 36. 37. 38. memorata BRUCKERUS videns, labores suos philosophicos litteratæ reipublicæ multum probari, deinde amicorum suorum nominatim *Heumanni* Göttingæ, *Beausobrii* Berolini, ac exterorum Eruditorum, quos *Germanica* illa utpote linguæ imperitos juvare non poterant, monitis excitatus ad scribendum *Opus* hocce latinum animum adjecit: *Opus dignum regio, quo superbit, nomine augustissimi M. Britanniæ Regis Georgii II. Opus egregium, et in hoc litteraturæ genere unicum, quod non latinam tantum eorum, quæ Noster germanice scripserat, Versionem; sed Opus plane novum dicas, in quo supplenda plurima adjecta: systematum, inprimis veterum Philosophorum, connexio et ratio accurate*

rate exposita: abjectâ, quæ prius juventutis scholasticæ caussa ad exemplum Heinsii et Hübneri delecta fuerat, erotematicâ methodô cuncta una historiæ serie enarrata, ac naturali et systematico ordine Lectorum oculis objecta sunt. Vide *Acta Eruditorum Lipsiensium* ad annum 1742. et *seqq.* Audiamus *Jo. Andr.* FABRICIUM *l. c.* monentem: *Historiam Philosophiæ plures scripsére, quos omnes Jacob. Bruckerus vicit.* Addit: *Nostrum in philosophicis sectatum esse Joann. Jacob. Syrbium, cuius philosophia, eô necdum mortuô, extincta est.* Exstiterunt quidem Critici, quorum alii nimiam prolixitatem, alii crebras earundem rerum repetitiones, alii alios nævos aut detexisse se putarunt, aut revera detexerunt. At horum venia eo magis Auctori concedenda est, quo minus in hominem cadit, in vastissimi, et a nostris temporibus, nostraque philosophandi methodo remotissimi argumenti Opere omnino non errare: quod ipsum *Auctor* in *Præfatione* minime diffitendum censuit. Majori attentione dignum est Judicium S. *Congregationis Indicis*, quæ *Historiam* istam duplici *Decreto* confixit, quorum primum anno 1755. die 28. Julii: alterum anno 1757. die 21. Novembris exivit *). Prodiit idem Opus *secunda vice* anno 1767. cui editioni *Noster*, ùt erat in scriptis suis magis magisque perficiendis indefessus,

46. *Supplementa* unô Tomô comprehensa, anno 1769. adjecit. Cæterùm ad hanc *Historiam*, propter argumenti affinitatem, referri debent tres sequentes *Lucubrationes*.

47.

*) V. *Index Librorum prohibitorum, D. P. Benedicti XIV. jussu recognitus* &c. 8. *Parmæ*. 1783.

47. *Institutiones Historiæ philosophicæ. Lipsiæ.* 1747. in 8. Iterum auctiores. *ibidem.* 1758. in 8. Prodiverunt etiam *germanicè*, titulo sequenti

48. *Anfangsgründe der philosophischen Geschichte.* 1761.

49. *Tabulæ mnemonicæ*, æri incisæ, *Historiæ philosophicæ secundum elegantissimum ordinem Cl.* BRUCKERI, *in usum studiosæ juventutis.* in folio majori. 1753.

50. *Guldene Aepfel in silbernen Schaalen, das ist, 400. in Kupfer gestochene Sinnbilder von allerley Zeiten und Umständen des menschlichen Lebens.* in 4. *Augspurg.* 1746.

51. *Miscellanea Historiæ philosophicæ, litterariæ, criticæ, olim sparsim edita, nunc uno fasce collecta, multisque accessionibus aucta et illustrata.* in 8. *Augustæ Vindel.* 1748. Dedicavit *Gerlaco Adolpho*, Baroni de *Münchhausen*, Regis *M. Britanniæ* Ministro Statûs &c. Litteratorum Mecænati eximio grati animi testandi causſâ, quod is Vir Opus *Historiæ criticæ Philosophiæ* ad memorati *Regis*, cui illud *Noster* sacrum voluit, *thronum adduxerit.* Vide *Acta Erudit. Lipsiens.* ad annum 1750. Exhibet Auctor in his *Miscellaneis*, sua Opuscula minora: ex parte dudum scripta, quædam etiam juvenilibus annis vulgata, pleraque petentibus amicis exarata, ut diversis *Collectionibus* menstruis ea insererent... Quoniam vero in *Historia critica Philosophiæ* sæpius ad illa provocaverat *Noster*, judicio Virorum doctorum ægre ferentium, ablegari Lectorem ad magnæ molis *Collectiones* Scriptorum miscellaneorum, in unum Volumen eadem cogere decrevit, resicta, emendata, aucta. Trifariam autem dispertivit; in philosophica, litteraria, critica.

Phi-

Philosophica sunt:

De Pyrrhone à Scepticismi universalis macula absolvendo. De falsa virtute exemplo Alexandri M. illustrata. De Convenientia Numerorum Pythagoræ cum Ideis Platonis. Supplementa ad Historiam de Ideis. De Providentia Stoica. De Stratonis Lampsaceni Atheismo. De Secta Elpistica. De vestigiis philosophiæ Alexandrinæ in libro Sapientiæ. De Stoicis, subdolis Christianorum imitatoribus, ad memoratum Zimmermannum *Tigurinum.*

Litteraria sunt:

Electa epistolica Spizeliana, cum mantissa Epp. Leibnizii. De Davide de Augusta. De Psalterio Germanico Ottomari Nachtigalli. De Versione Italica Hypotyposeon Phil. Melanchtonis. De Vita Matthiæ Schenckii d). Synopsis Vitæ Hier. Wolfii e). De Vita Jeremiæ Martii f). De Meritis Gentis Fuggeriadæ in litteras g) De Vita et Scriptis Achillis Pirminii Gasseri. De Vita Davidis Hoe-

d) Hujus Vitam et Scripta accuratiori calamo descripsi in *Alphabeto VII.* meæ *Bibliothecæ Augustanæ.*

e) Vitam *Wolfii* novis observationibus auctam et Catalogo Operum eius exactissimo illustratam dedi in *eodem Alphabeto VII.*

f) De hoc egi in *eodem Alphabeto.*

g) Illustrissimæ Gentis hujus Merita in litteras, et eorum, quos habuit, doctorum Virorum Opera fusissime exposui in *eodem Alphabeto*, et hac ratione (ut spero) implevi, quod *Bruckerus* scripsit: *Lineas tantum ducemus nos, integram enarrationem relicturi illis, quibus his se totos immergere licet.*

Hoeschelii h). *De Georgii Remi Commentario in libros Regum i*). *Elogium Lucæ Schræckii*. *De Vita Phil. Jac. Crophii k*). *De Advocatis Augustanis l*).

Critica sunt:

Explicatio Ioel II. 23. Exegesis Joann. XII. 32. Exegesis Ephes II. 1. 2. Supplementum Antiqq. Augustan. Marc. Welseri. De Curtio juvenum imitationi non commendando.

52. *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit, in welchem die Bildnisse gelehrter und um die schönen und philologischen Wissenschaften verdienter Männer unter den Deutschen aus dem XV. XVI. und XVII. Iahrhunderte aufgestellt, und ihre Geschichte, Verdienste und Merkwürdigkeiten entworfen sind von Jacob Brucker &c. in Kupfer gebracht von Joh. Jac. Haid. 4. Augsburg.* 1747. Videntes BRUCKERUS & HAIDIUS, *Pinacothecam* suam, de qua *N.* 43. dictum est, abs Republica litteraria magna cum approbatione excipi, ad con-

h) *Hoeschelii* laudes prolixe celebravi in *Alphabeto VII.* dictæ *Bibliothecæ*, additis pluribus *Epistolis* eius *anecdotis*.

i) Vitam *Remi*, eiusque Opera exposui in sæpius memoratæ *Bibliothecæ Alphabeto I.*

k) Hanc Commentationem ineunte anno 1744. ad *Societatem latinam Jenensem*, scripsit *Noster*; quod a memorata *Societate* in locum *Crophii*, morte erepti, adlectus fuerat.

l) Hæc scripsit *Noster* in Supplementum eorum, quæ in *Langenmantelii Regiments - Historie von Augspurg* de eodem argumento monuerat. (Vide *superius N.* 40.) Hæc eadem *Jo. Reinh. Wegelinus Thesauro Rer. Suevic. T. IV. p.* 35. inseruit.

construendum istud *Templum honoris* animum adjecerunt, eo lubentius, quo magis à Viris doctis, præsertim GOTSCHEDIO, ad Nationis *Germanicæ* litterarias laudes ab exterorum futilibus præjudiciis honesto conatu ulciscendas animabantur. Continet autem *Opus* Vitas & Effigies, affabrè in ære expressas, *quinquaginta* Doctorum *m*) ex Gente *Germanica*, quas BRUCKERUS, jam non encomiasten, sed vice versa biographum agens, multa crisi breviterque ita conscripsit, ut rerum notabilium nihil ei exciderit: ut multigena lectione sese exercitatum prodiderit, plurimumque lucis litteratæ eorum temporum historiæ affudisse deprehendatur.

53. *Entwurf einer urkundenmässigen Geschichte der evangelischen Pfarrkirch zum H. Creuz in Augspurg, zur Erläuterung der Geschichte der evangelischen Kirche in Schwaben.* in 8. 1753. Scribendi Operis huius occasionem dedit *Nostro* Solennitas *sæcularis* reædificati Templi, quod pars acatholica *Augustæ* possidet, *S. Crucis.*

54. *Scipionis Aquiliani Libri de Placitis Philosophorum ante Aristotelem.* in 4. *Vratislaviæ.* 1756. V. *Schwäbisches Archiv. III. Stuck. p.* 305. Audiamus, quæ *Noster* in *Præfatione* ad *Miscellanea* 1748. edita monuit: „ Animus est, quam dudum promisimus, „ *Syllogen Opusculorum a celeberrimis Viris editorum, quibus philosophicæ Historiæ lucem accenderunt, sed quæ rariora facta in paucorum manibus sunt,*

m) Nimis longus forem, si hos nominare vellem omnes. Ergo paucos tantum exempli gratiâ memorabo: Rudolphum *Agricolam*, Conradum *Celtem*, Joannem *Reuchlinum*, Conradum *Gesnerum*, Marcum *Velserum*, Martinum *Opizium*, Petrum *Lambecium* &c. &c.

„ *sunt, observationibus nostris auctorum et emenda-*
„ *torum* per partes edere; quoniam ad ea quoque
„ haud raro provocavimus, multaque in promtu
„ sunt, quibus juvari hoc literarum genus possit,
„ digna quæ oblivioni eripiantur. Cuius exemp-
„ lum esse potest *Scipionis Aquiliani libellus de pla-*
„ *citis physicis Philosophorum ante Aristotelem*, lon-
„ ge rarissimus, paucisque visus, ideoque dudum
„ ut recudatur, exoptatus. Qua in re Virorum
„ doctorum auxilium merito expetimus." Quamvis autem *Bruckerus* hoc suum propositum omnibus partibus explere (quibus nescio) fatis impeditus nequiverit, tamen *Aquilianus*, annô supra indicatô, foras exiit (si *Adelungio l. c.* fidem habemus) filio *Nostri*, supramemorato *Carolo Friderico*, protrahente ex *scriniis paternis*, *Commentarios & Illustrationes adjiciente. Lipsiæ.* in 4.

55. *Die heilige Schrift alten und neuen Testaments nebst einer Erklärung aus den Anmerkungen engländischer Schriftsteller.* in 4. *Leipzig.* Quam partem in istis habuerit *Noster*, disces ex sequentibus: Cùm anno 1758. *Lipsiæ* Operi huic cudendo initium factum esset, *Romano Tellero*, *Lipsiæ*; et *Jo. August. Dietelmaiero Altdorfii* Vetus Testamentum curantibus; *Noster*, ut novum Testamentum prælo adornaret, exorrari se passus est, ediditque illud hoc titulo: *Auslegung der H. Schrift des neuen Testaments einiger englischen Gottesgelehrten, mit Anmerkungen versehen, Leipzig.* in 4to. 1766 - 1770.

56. *Heiliges Gebets - Opfer.* Tribuit *Nostro* Liber: *Ministerium evangelicum.* 4. *Augustæ.*

57. *Epistolæ ad Joannem Lamium*, quas *superius* habes verbatim expressas.

Supereſt, ut indicem, quinam Scriptores inſuper conſuli de *Noſtro* poſſint. Sunt illi GOETHE *gelehrtes Europa. Tomo III. Unſchuldige Nachrichten T. XXV. & XXX. Leipziger gelehrte Zeitung T. I. Hiſsmann Litteratur der Philoſophie.* STRUVII *Bibliotheca philoſoph.. Merckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Bibliothek*: qui omnes multas ei laudes dicere non omiſerunt.

* * *

Hæc ſunt, Lector! quæ de BRUCKERO dicere habui — Jam de EHINGERO (quod promiſi) pauca aſſuam; de cuius Vita & Scriptis editis, ineditisve breviorem me eſſe licet, quod hæc eadem integrô libellô fuſe deſcribenda ſuſcepit BRUCKERUS, quem ut Lector harum rerum avidus adeat, rogo.

Eliæ EHINGERO Vitæ Fatorúmque ſeries fuit ſequens. Natus eſt *Noſter* in cœnobio Oettingenſi, *Chriſtgarten* dicto, anno 1573. ad diem 7. Septembris. Hinc *Auguſtam* cum patre *Elia Ehingero* Verbi (ut ajunt) Miniſtro anno 1584. venit: ubi primitus in Schola *San-Annæana* ſub *Hieronymo Bavaro* (Bair) ſtuduit; anno vero 1588. inter Alumnos Collegii evangelici aſſumptus ductu *Georgii Salzhuberi* & *David. Schrammii* ita profecit, ut anno 1593. in Academiam *Wittebergenſem* mitteretur. In hac *Polycarpum Leyſerum*, *Ægidium Hunnium*, *Huberum*, *Geſnerum* &c. audivit, et *ſex Diſputationibus*, intra trienniuml habitis, adeo inclaruit, ut ſupremos in *Philoſophia* honores conſecutus alios doceret, interque diſcipulos ſuos *Fridericum Hortlederum*, edi-

editis postea ad Jus Germaniæ publicum attinentibus Scriptis celebrem numeraret.

Tubingam reveſtus præter expectationem muneri ecclesiastico admotus est: mox etiam ab Barone *David. Enenckelio Albertobergam* (Altersberg) in inferiori Austria ad aulici Ecclesiastis munus obeundum vocatus est, idque ab anno 1597. per sexennium obivit. *Enenckelio* patrono fatis rapto *Kefermarckium* in Austria superiore a *Jo. Wilh.* Barone *de Zelcking* accersitus idem munus sustinuit, usque dum Lutheranis Austriæ regionem purgare jussis et ipse anno 1605. alias sedes petere cum familia sua coactus est. Itaque *Augustam* confugiens tum privatis se Musis dicavit, tum *Joanni Adamo* & *Joanni Alberto de Wolfstein* Baronibus in *Sulzburg* et *Pürbaum* officia sua obtulit; qui, quod nullum munus ecclesiasticum vacaret, tum quidem eum benevolentissimis promissis consolati sunt. Hæc inter opportune accidit, ut *Rottenburgum* ad Tubarim anno prædicto evocaretur, *Rectoris* Scholæ spartam tuiturus. Hanc annos 12. ita tuitus, ut multam a suis laudem inde retulerit: tantoque amore juventutem sibi creditam complexus est, ut neque *Sulzburgum*, quò eum mox dicti patroni datam fidem liberaturi anno 1611. ad Pastoris et Superintendentis munus vocaverant, neque *Ulmam* invitatus iverit.

Suscepit tandem *Augustæ* Rectoris, Professoris, et Bibliothecarii provinciam, quam a Senatu sibi demandatam anno 1617. die 26. Maij solenni oratione habita auspicatus est. Hîc, campum litterarium nactus amplissimum, industriæ suæ specimina varia, tum confecto *publicæ* illius

ac celebris *Bibliothecæ Catalogo*, tum vulgatis ex eodem Musarum sacrario pluribus SS. Patrum et ecclesiasticæ Antiquitatis monumentis edidit; quæ meletemata eius præstantiora merito dixeris: nam reliqua maxima ex parte haud tanti facienda esse arbitror.

Mansit autem in ista statione ad annum 1629. quo duriora rursus experiri fata coactus est, quæ ultro sibi accersiverat, ob editam Fidei confessionem Imperatoris decreto exauctoratus. Itaque in *Saxoniam* se conferens, a Duce *Saxo-Vinariensi* Academiæ *Jenensis* proceribus commendatus est. Sed, cum nulla ibi sedes vacua esset, cura studioque *Matthiæ Hoe ab Hohenegg* in aulam electoralem admissus illustrem Ludum provincialem, cui a *Porta* nomen (germanice Schul-Pforte) anno 1630. regendum obtinuit; donec *Sueco* milite Augustâ potito ad pristinum munus quasi postliminio revocatus est. Appulit autem cum suis Augustæ anno 1632. die 16. Julii, ne quidem vel secunda hac vice diu ibi mansurus; nam cæsareis copiis (ut varia est et inconstans belli fortuna) prævalentibus, mutataque rerum Augustanarum facie anno 1635. rursus urbem linquere et Gymnasium *Annæanum* die 21. Maij *Patribus Societatis Jesu* tradere compulsus est.

Vacabat sub idem tempus *Ratisbonæ Rectoris* munus *scholastici*. Itaque eò vocatus se contulit et demandato officio longiori tempore functus anno 1649. ob senectutis incommoda et affecti corporis valetudinem rude donatus reliquum vitæ spatium in otio litterario exegit. Obiit anno 1653. octogenario major, et in coemeterio *S. Petri* terræ mandatus est.

Ex-

Extremis vitæ temporibus, ut numerosam familiam sustentaret (filii ei erant quinque, filiæ duæ) libros suos vendere adactus fuit, eundemque in finem carmina, quæ felici vena pangebat, a se conscripta Viris illustribus civitatis, vel itinerantibus, stipis corrogandæ gratiâ, per filias suas obtulit; e qua re rumor earum pudicitiæ iniquior ortum habuit; quam tamen vindicare *Bruckerus* aptis argumentis studuit.

Edidit *Ehingerus* permulta, sed varii commatis: gravia, & levia. Præstantiora eius sunt: PSELLUS *in Organum Aristotelis. Græce et Latine. Wittebergæ.* 1597. *Canones Apostolorum et SS. Conciliorum. Græce et Latine.* in 4. *Wittebergæ.* 1614. *Austriæ Ducum, Archiducum, Regum, Imperatorum Genealogiæ a Rudolpho I. Habspurgensi ad Cæsarem Ferdinandum II. æri incisæ a Wolfgango Kiliano. Augustæ Vindelicorum.* 1623. *S. Joannis* CHRYSOSTOMI *Oratio in Pentecosten. Græce et Latine. ibid.* 1624. CÆSAREI, *S. Gregorii Nazianzeni fratris, Quæstiones theologicæ et philosophicæ. Græce et Latine.* in 4. *ibid.* 1626. Opus dicatum Senatui Augustano, in quo *Ehingerus* Codicibus *Augustano* et *Bavarico*, quem *Matthæus Raderus* comparaverat mutuum, usus est. POGGIUS *Florentinus de Infelicitate Principum. Ex Bibliotheca Augustana.* in 8. *ibid.* 1629. *Catalogus Bibliothecæ amplissimæ Reipublicæ Augustanæ, jussu Jo. Ant. Laugingeri Septemviri et Jo. Udalr. Oesterreicheri Prætoris, Bibliothecæ Præfectorum, et Scholarcharum conscriptus.* in fol. *Augustæ Vindel.* 1633. Opus magni et fastidiosi laboris, nostro ævo perrarum. *Velitatio epistolaris, seu* συζητησις

 pla-

placida quorundam Societatis Jesu Patrum n) cum M. Elia Ehingero tum temporis Scholæ Augustanæ, jam vero Gymnasii Electoralis Saxonici ad Salam Rectore, in 8. *Wittebergæ*. 1631.

Habuit *Ehingerus* cum Viris eruditis synchronis commercium litterarium copiosum; in cuius rei documentum (præter supra memoratos tres doctissimos *Jesuitas*) appellare mihi licet *Andream* SCHOTTUM, a quo extat in *Schelhornii Amænit. litter. T. III. pag.* 258. *Epistola* ad *Nostrum*: PEIRESCIUM, a quo *ibidem* duæ *Epistolæ* habentur; ex quarum prima colligitur, *Ehingerum* ei quasdam *Observationes de Mensuris hæbraicis* submisisse: *Casparem* HOFMANNUM, Medicum et Professorem *Altdorfinum*, teste *Gundlingio in Historie der Gelehrtheit. p.* 5118. *Joannem* AUBERTUM, Canonicum *Laudunensem*, cui ex Bibliotheca Augustana *Libros S. Cyrilli Alexandrini de SS. Trinitate* sua manu, difficili tempore, descriptos misit o).

Plurima reliquit *Ehingerus* Manuscripta, quæ *Bruckerus* fusius, quam materiarum dignitas postulare videtur, recenset. — Hunc itaque adeat, quisquis volet.

Inter alia *Interpretationi Psalmorum S.* ATHANASII *Patriarchæ Alexandrini* multum operæ *Ehingerus* impendit, nunquam tamen vulgatæ; ut *Bruckerus* affirmat. Atque hoc in loco Lectorem admonitum velim, asservari in nostra *FF. Veithiorum*

n) Fuerunt hi Jeremias *Drexelius*, Joannes *Brutscherus*, & Matthæus *Raderus*. Vide *Alphabetum II.* præsentis *Bibliothecæ*, *p.* 62.

o) Vide *Præfationem* ad *S. Cyrilli Alexandrini Opp. Tom. I.*

rum Bibliotheca Codicem manuſcriptum latinum hoc titulo: *Pſalterium Athanaſianum p*) *e Græco in Latinum ſermonem converſum in illuſtri Porta ab Elia Ehingero, Auguſtano, Gymnaſii Portenſis Rectore*, 1631. in *folio*.

Et hoc quidem *Pſalterium* cum *Athanaſii Expoſitionibus in Pſalmos*, quas inter dicti *S. Patris Opera* edidit MONTFAUCONIUS, non conſonat: id quod perperam *Bruckerus* credidit. Concordat autem (etſi variationes plures occurrant) cum *Opere*, quod anno 1746. *Romæ* in *folio* exiit ſequenti titulo: *S. Athanaſii &c. Interpretatio Pſalmorum, ſive de Titulis Pſalmorum*; ubi Editor in *Præfatione p.* XI. mentionem *Ehingeri* inferre minime omiſit.

De *Noſtro* quoque agunt WITTE in *Diario*: KOENIG in *Biblioth. vet. & nov.* MICHEL in *Oettingiſche Bibliothek.* & in *Oettingiſche Geſchichte.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii San-Annæani.* Liber: *Unſchuldige Nachrichten, T. XXV.* & *XXIX.* Liber: *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache, T. V.* De Manuſcriptis *Noſtri* memorat *Theophilus Spizelius* in *Catalogo* ſuæ *Bibliothecæ*: De Epiſtolis *Noſtri* anecdotis habes apud eundem *Spizelium*, & apud *Wolfium*, in *Supellectile epiſtol.*

p) Hoc *Pſalterium* Bibliothecæ *Veithianæ* obtulit Excellentiſſ. D. *Franciſcus Antonius* KHAGERUS, *Auguſtanus*, nunc Canonicus *Spaltenſis* & Conſiliarius eccleſiaſt. *Eichſtettenſis*, qui me monuit, ſe in aliquo *Catalogo* Librorum *Norimbergenſi* legiſſe ſequentia: *Pſalterium Athanaſianum e græco in latinum ſermonem converſum in illuſtri Porta ab Elia Ehingero, A.* 1630. *Folia* 101. *Idem Liber, charactere monaſtico.*

CONLIN (*Joannes Rudolphus*)

De *Jo. Rudolphi* CONLINI, collegiatæ ad *S. Petrum* Ecclesiæ, quæ *Augustæ* est, Canonici Vitæ circumstantiis constare nihil, est, quod doleam vehementer; eo magis, quòd ille doctrinam & indolem ad historiæ sacræ ac profanæ studium propensissimam Libris sequentibus editis egregie comprobârit.

I. *Roma sancta, sive Benedicti XIII. Pontificis maximi, & S. R. E. Cardinalium Viva Virtutum Imago, æri & litteris, in perennaturam virtutum memoriam, incisa. Continentur Vitæ, Familiæ, Patriæ, Legationes, aliaque scitu & memoratu digna omnium S. R. E. Cardinalium, qui ultimo Conclavi anno* 1724. *interfuêre; præter eos, qui à SS. Patre Benedicto XIII. neo - denominati fuêrunt.* in folio. *Augustæ.* 1726. *Cum Iconibus à Joanne Christophoro Kolb Chalcographo Augustano cælatis.* Opus ex fidis Manuscriptis, Relationibus, Monumentis publicis desumptum, projn dignum, in quo recensendo longius immorer.

Consecravit Auctor *Benedicto XIII.* & *S. R. E. Cardinalibus.* In *Præfatione* se purgat. 1. Quod ipse, contra quam aliis in more positum est, de viventibus poene temeraria præsumptione loquatur. 2. Monet sibi multum laborandum fuisse, ne maximorum Virorum nomina stili tenuitate obfuscaret potius, quam ornaret. 3. Excusat se, si in tam patenti laudum campo pauciora aliquando, quam tantorum Virorum meritum exigit, adducat in medium. 4. Affirmat, se summo conatu in præsenti Opere veritati adhæsisse. 5. Promittit, *supplementi* loco, in singulos 6. menses

post

post creationem, accessuros Cardinales, quotquot denominari posthac contigerit. 6. Nomine Chalcographi asseverat, quod effigies cunctæ suis archetypis, *Romæ* delineatis & excusis, accurate respondeant: quod si lineamenta, quæ in præsenti duxit, non undequaque ad ætatem singulorum Cardinalium respondeant, cogitare Lectorem jubet: quos in prima virili ætate vel Apellejus artifex depinxit, hos veneranda senectute multum immutari.

Sequitur ipsum Opus, in quo Res & Effigies exhibentur *Benedicti XIII*; Francisci *Judice*; Fabritii *Paulucii*; Francisci *Pignatelli*; Francisci *Barberini*; Jacobi *Boncompagni*; Francisci *Aquavivæ*; Galleazii *Marescotti*; Petri *Ottoboni*; Josephi *Sacripantes*; Ludovici Antonii *de Noailles*; Laurentii *Corsini*; Laurentii *Flisci*; Thomæ *Ruffi*; Horat. Philipp. *Spada*; Philipp. Ant. *Gualterii*; Josephi *Vallemani*; Christ. Aug. *Ducis Saxoniæ*; Carol. Aug. *Fabroni*; Petri *Prioli*; Ulyss. Joseph. *Gozzadini*; Hannib. *Albani*; Ludov. *Pici de Mirandula*; Joann. Ant. *de Via*; Aug. *Cusani*; Jul. *Piazza*; Ant. Fel. *Zundodarii*; Joann. Bapt. *Bussii*; Petr. Marcell. *Corradini*; Arm. Gastonis *de Rohan*; Nunii *d'Acunha de Attaide*; Wolfg. Hannibal. *Schrattenbachii*; Joann. Bapt. *Ptolomæi*; Bened. Erba *Odescalchi*; Dam. Hugon. *de Schönborn*; Henric. *de Thyard de Bissi*; Innic. *Carracioli*; Bernard. *Scotti*; Nicol. *Carracioli*; Joann. Bapt. *Patritii*; Nicol. *Spinola*; Giberti *Borromaei*; Emeric. *Csaki*; Leon. *de Potiers*, *de Gesures*; Georg. *Spinula*; Cornel. *Bentivoli*; Philipp. Thom. *Bossu*; Joann. Franc. *Barbadici*; Ludov. *de Belluga & Moncada*; Joseph. Pereyræ *de la Cerda*; Mich. Frid. de *Althann*;

Joann. Bapt. *Salerni;* Carol. *Borgiae*; Alvar. *Cienfuegos;* Bern. Mar. *de Comitibus*; Bened. *Pamphilii*; Jos. Renat. *Imperialis*; Laurent. *de Alteriis;* Carol. *Columnæ*; Curtii *Origi*; Melch. *de Polignac;* Fabii *Oliverii*; Carol. *de Marinis;* Julii *Alberoni*; Alexandri *Albani*; Joann. Bapt. *de Alteriis;* Alexandri *Falconerii*; Vincent. *Petra*; Augustin. *Pipia*; Prosperi *Marefusci*; Nicol. *Cosciæ;* Nicol. *Judice*; in quo CONLINUS desiit, haud dubie morte interceptus.

Continuatio prima Romæ sanctæ Auctorem in in titulo profitetur *Augustinum* FABRI *Ordinis Prædicatorum.* Hæc autem *Continuatio* anno 1729. *Augustæ* procusa exhibet Vitas & Effigies sequentium Cardinalium: Andr. Hercul. *de Fleury*; Laurent. *Cozzae*; Nicol. Mar. *Lercari*; Ang. Mar. *Quirini*; Joann. *de Motta & Silva*; Didaci *de Astorga & Cespede*; Sigismundi *de Kollonitz*; Jos. Ludov. *de Sintzendorff*; Franc. Ant. *Finy*; Marc. Ant. *Ansidei*; Prosp. *Lambertini*; Gregor. *Selleri*; Ant. *Bancherii*; Carol. *Colligolæ;* Vinc. Ludov. Mar. *Gotti*; Leonard. *Portiæ* Forojuliensis.

Continuatio secunda ab eodem *Fabro* anno 1730. vulgata continet Petr. Aloys. *Caraffam*; Jos. *Accorambonum*; Camillum *Cybum;* Franc. *Burghesium;* Car. Vinc. Mar. *Ferrerium*; Alamann. *Salviati.*

II. *Glorreiche Regierung und unvergleichliche Thaten Caroli VI. des grösten Besigers der niedergehenden Sonne &c.* in 4. *Augspurg.*

IATRO-

IATROLOGIA
AUGUSTANA
SAECULI XV. ET XVI.
EXHIBENS
MEDICOS
QUI
SIVE AUGUSTÆ NATI, IN PATRIA,
SIVE ALIUNDE ADVECTI, AUGUSTÆ,
SIVE AUGUSTÆ GENITI, ALIBI,
PER ILLA TEMPORA
ARTI SALUTARI VACAVERUNT.

Quis *Medicos Augustanos* inglorios dicere sustineat, quorum eruditæ voces non semel in Scriptis publicis olim per universam Germaniam aliasque provincias et regna passim exauditæ; quorum adcurata, in morborum natura exponenda, eloquentia: et in debito auxiliorum usu efficaciter persuadendo ac edocendo dexteritas, à tot myriadibus ægrotorum hactenus deprædicata, omnino mutorum Doctorum ordini eos exemit, & ab ingloria oblivione vindicavit? *Luc.* SCHROECKIUS in *Hygeia Augustana*, *pag.* 100.

CONRADUS

Monop de Rüd.

De *Medicis Auguſtanis ſæculi XV.* & *XVI.* dicturo mihi primô omnium locô occurrit hoc *Nomen*, in Republica litteraria ignotiſſimum; de quo nil aliud dicere habeo, quam in Bibliotheca Cœnobii Carthuſianorum *Buxhemii* prope Memmingam ſervari *Codicem* manuſcriptum *chartaceum* in 4. exaratum *ſæculo XV.* fors ineunte, cùm ſequenti Rubrica:

Incipit Compendium de Regimine ſanitatis excerptum per Magiſtrum Conrad. Monop a) de Rüd, pro tempore Doctorem ſolennem Eccleſiæ Auguſtenſis, ex omnibus dictis Doctorum medicinæ &c. &c.

Habentur in eodem Codice, poſt abſolutum *Compendium*, eâdem manû ſcripta, quæ ſequuntur: *Tractatus de Epidimia. Ex Bertruccio b) de Febre peſtilentiali. Secreta Secretorum Mulierum.*

Hæc ſufficiant, Lector! cùm reliqua ſpiſſis tenebris ætas obduxerit.

CU-

a) Sic *Codex* habet, haud aliter legendum.
b) *Bertruccius* vixit *ſæculo XIV.*

CUBA (*Joannes*) de quo pauca nobis, nec satis clara & perspicua tristis temporis edacitas, et rerum ante nostram ætatem gestarum obscuritas reliquit. Hunc, perantiquum Medicum *Augustanum* fuisse BRUCKERUS in *Prolusione* præfixa *Vitis Adolphorum Occonum* monet. *Jo. Franc.* SEGUIERIUS in *Biblioth. botanic. p.* 242. & *Jos.* SIMLERUS in *Biblioth. p.* 358. Medicum *Francofurtensem* faciunt. Num Augustâ Francofurtum, an Francofurto Augustam commigrârit, dicere nequeo. Similiter penitus me latet, an unam, vel utram harum civitatum patriam habuerit? Vixisse verò eum *medio ferme sæculo XV.* credibile est.

Plura autem sunt, quæ de Operibus, â *Nostro* posteritati transmissis, afferam. Sunt illa.

I. *Hortus Sanitatis.* Huius editionem antiquissimam, loci, auctoris, anni & typographi nomine carentem: primamque typographicæ artis infantiam tum characterum, tum imaginum (plantas, animalia, lapidèsque referentium) ruditate, itemque litteris initialibus calamo adpictis comprobantem a Jo. Dieter. *Leopoldo* Poliatro *Ulmensi* possessam fuisse, tradit *l. c.* BRUCKERUS, addens: etsi Auctoris nomen non præferat Liber iste, tamen in *Germanica* editione, sub titulo: *Garten der Gesundheit*, anno 1485. excusa, *Libri* parentem indicari *Joannem Cubam* Medicum Augustanum. Quanta approbatione ætas illa, quantoque plausu istum *Hortum Sanitatis* exceperit, duæ potissimum res apertissime monstrant: nimirum editionum procusarum multitudo, & honor abs Medicis eidem *Horto* habitus. Certe laudatus *Seguierius l. c.* editiones *octodecim* ab anno 1486. usque

que ad annum 1555. intra & extra *Germaniæ* fines variis in locis, variisque linguis (*Germanicâ*, *Latinâ*, *Belgicâ*, & *Gallicâ*) vulgatas memorat, quas ex ordine suo enumerare brevitatis gratiâ omitto *a*). Inter Medicos autem, qui in *Horto* hoc edendo, augendo, ornando operam suam locaverunt, nominare licet, Eucharium *Rösslinum* sive *Rhodionem*: Adamum *Lonicerum*, cuius labor, sæpissime typis excusus est, ac nostra adhucdum ætate circumfertur: & (si SIMLERUS in *Biblioth. p.* 358. bene conjicit) Theodoricum *Dorstenium*.

Juvat assuere judicium, quod de *Horto Sanitatis* â *Nostro* scripti KESTNERUS in *Bibl. medic. p.* 527. tulit, dicens: „ Quamquam magnam famam conscripto illo, toties de novo impresso, *Horto* apud coætaneos suos consecutus sit *Cuba*, nostra tamen ætate, ut eiusmodi libros rarioribus quidem, sed minus utilibus Scriptis annumeremus, oportet. “

II. *Frauen-Artzeney.* Extat hæc *Nostri* Lucubratio unà cum aliis aliorum Scriptis similis argumenti in Libro: *Ehestands-Artzeney* &c. *Erfurt.* in 8. *c. fig.* uti monet KESTNERUS in *Biblioth. medic. p.* 360. BRUCKERUS *l. c.* addit: idem meletema etiam *Hanoviæ* 1577. in 8. cum aliis eiusmodi meletematis *germanice*: *latine* vero cum *Alberti M. Secretis mulierum* jam anno 1531. *Francofurti. Ex officina Egenolphi*, prodivisse. Neque dubito, plures adhuc eius editiones factas esse.

MER-

a) Confer, si lubet, *G. G. Zapfii Buchdruckergeschichte von Augsburg. T. I. p.* 77. 87.

MERLINGERUS (*Bartholomæus*) melius *Metlingerus*, quem *Augustanum* fuisse, et in celebri Athenæo *Ingolstadiano* inter ipsa eius primordia substitisse, primùm didici ex *Annalibus* eiusdem *Academiæ*, *T. I. p. 2.* Ibi lego ad annum Domini 1472. sequentia:

„ Fundata Academia Ingolstadiensi, non-
„ dum tamen solenniter, ut arbitror, publicata
„ inaugurataque, posteaquam fama jam de ea
„ increbuisset, justusque Studiosorum confluxisset
„ ad novum hunc litterarum mercatum nume-
„ rus, ne acephalos esset Universitas, Vicerector
„ Scholæ ab ipso Fundatore Ludovico die 17. Mar-
„ tii est constitutus Wilhelmus de *Werdena* (veriori
„ nomine *Wilhelmus Kyrmann* Donauwerdanus)
„ Artium et Decretorum Doctor, et Juris cano-
„ nici in Decretalibus Professor ordinarius. . . . Isto
„ igitur Vicerectoratûs tempore . . . relati sunt in
„ album et matriculam Universitatis 489. Stu-
„ diosi, juvenes, virique, clerici pariter ac sæ-
„ culares.

„ Personæ illustriores erant. . . . *Joannes* Epi-
„ scopus Hieropolitanus SS. Theologiæ Profes-
„ sor. Theodoricus *Mayr* Præpositus in Illmün-
„ ster . . . Carolus *Fromont* Parisiensis, LL. Doc-
„ tor. . . . Andreas *Riederer* Medicinæ Doctor et
„ Professor. Udalricus *Ellenbog* de Valcirco, et
„ Bartholomæus *Metlinger* Augustanus, et Joan-
„ nes *Trost*, Medicinæ Doctores . . . ." Atque, ut præmissa paulo magis elucidentur, juvat afferre, quæ de eadem re Excellentiss. S. R. I. Eques *de* LEVELING Medicinæ Professor *Ingolstadiensis* &c. &c. nuperrime in *Historia chirurgico - anatomica Facult. medic. Ingolstadiens. p.* 7. 41. monuit: „Joan-

nem

„ nem *nempe* TROST Physicum Ludovici Comitis „ Palatini Rheni &c. Udalricum ELPOGEN Phy„ sicum Capituli Augustensis, & Andream RIE„ DER, Viros egregios ac famosos, & in vicinis „ Italiæ scholis enutritos, ad ordinarie legendum „ in Universitate Ingolstadiensi conductos, anno „ 1472. die 27. Junii Collegium Facultatis Me„ dicinarum erexisse &c." Etsi autem hîc nulla *Nostri* (sive quod serius ad Academiam accesserit, sive ob aliam caussam) mentio fiat; tamen ex *Collegarum*, quibus *Nostrum* citati *Annales* jungunt, splendore haud parum claritatis ad eundem redire, quivis cordatus mecum judicabit.

Hæc sufficiant; nam reliqua *Nostri*, quemadmodum præcedentis *Cubæ*, omnia ætas delevit, præter unam Lucubrationem, quæ sequens est.

Regiment der jungen Kinder. in fol. *Augspurg.* 1474. Vide *P. Placidi Braun Notitiam historico-litterariam. T. I. p.* 169. qui Librum accuratius describit; item Opus: *Freymüthige Betrachtungen über alte und neue Bücher. I. Band.* 1784. *p.* 1. ubi fuse de proposito Libro agitur, binæque aliæ Editiones sæculo XV. *Augustæ* vulgatæ (nimirum *anni* 1476. & 1497.) memorantur *a*). Latinè prodiit sub titulo: *De Infantium morbis & eorum valetudine tuenda*; habetúrque cum *Alberti M. Secretis Mulierum*, *Francofurti* 1531. & rursus *Germanice* (sub titulo: *Kindspflegung*) cum *Eucharii Rhodionis* supra memorati, *Jo. Cubæ* prædicti, *Ludovici Bonacioli*, & *Alberti M.* eiusdem materiæ Scriptis in unum collectis *Hanoviæ* 1577. item *Erfordiæ* in Libro: *Ehe-*

a) Vide, si placet, *G. G. Zapfii Buchdruckergeschichte von Augsburg. T. I. p.* 28. 40. *T. II. p.* 246.

Ehestands Artzney. Haud dubio locus est, quin à repetitô *Collectionum* harum typô, unà etiam *Tractatûs* dicti editio pluries repetita fuerit.

Cæterum à *Nostro* alium *Joannem* MERLINGERUM Medicum Augustanum (cuius *Jo. Stockar* Medicus Ulmensis antiquus meminit, variaque medicamenta ab eo secum communicata in *Practicis MSStis.* exhibet) distinguendum videri, monet *l. c.* BRUCKERUS, doctus id ipsum â prius laudato *Jo. Dieter.* LEOPOLDO.

OCCONES (*Adolphi*) de quibus antequam tractare aggrediar, probe mihi monendus es, Lector benevole! tres exstitisse huius nominis Viros, medicæ artis aliarumque scientiarum laude maxima insignes; quos proinde ne miscendo erremus, *primum*, *secundum*, *tertium* appellare juvat. Horum res et facta BRUCKERUS, edita *Lipsiæ* 1734. *Historia Vitæ Occonum* fuse descripsit. Unde mihi in eo allaborandum est, ut, quæ ille latiori stylo exposuit, ego in compendium redigam, amatam sectans brevitatem: deinde, quæ in penu mea litteraria servo, studiose supplendo adjiciam.

Itaque ad rem, et ad OCCONEM (*Adolphum*) *I.* Hic, qua origine natus sit, exponit Albertus *Kranzius* in *Rer. Saxon. L. X. Cap.* 14. ex quo discimus, jam *sæculo XIV.* unum Majorum *Nostri*, ex *Frisia*, in *Germania* militâsse, baltheoque militari præcinctum dignitate *Equitis aurati* refulsisse, ob eandem a civibus, quasi a patria libertate, cui peregrinam tentasset nobilitatem inducere, degener factus esset, necatum; sed ab uxore ausu generoso feliciqne ultum. Illustri

hoc

hoc genere oriundus *Noster* patrem habuit *Haingum*, melius *Hagninum* vel *Hagnigum* *Occonem*, matrem *Theodoram*, gente itidem *Frisiam*: quibûs parentibûs *Adolphus* anno 1447. *Osterhusæ*, occidentalis (Alii habent: orientalis) *Frisiæ* oppido, genitus, & *cum sanguinis nobilitate ingenii præstantiam* (Verba sunt *Bruckeri*) *hæreditario quasi jure nactûs, non potuit non decus avitum Majorumque gloriam, virtute partam, propriis augere meritis, novosque radios pristino gentis suæ splendori addere* *). Quæ in adolescentia gessit *Noster*, ea penitus latent; præterquam quòd Rudolphum *Agricolam*, magnum illum litterarum in Germania restauratorem, audiverit probus discipulus **). Annis vero auctus ad medicæ artis studium animum adjecit, prout vitæ postea actæ cursus omnis commonstrat.

In *Sueviam* (quibus, nescio) fatis delatus, *Augustam* venit; ubi medicinam exercuit. Evidenti rei huius, hactenus nulli Scriptorum memoratæ, documento sunt, quæ *Wilhelmus* WITTWER *a*) Cænobita *San-Udalricanus*, synchronus, in *Catalogo Abbatum MSS. pag.* 168. memorat: *Cum anno* 1474. *Henricus Fries, Abbas in Refectorio suspendendam pingere jussisset Tabulam, Christum in Cruce repræsentantem, injunxit* Adolpho

E 2 Occo-

*) Belle hæc omnia, et solidîs auctoritatibûs comprobat BRUCKERUS, quem, si lubet, confer.

**) Affirmat hoc Jo. *Agricola* Ammonius in *Dedicat.* ad *Nicolai Alexandrini Librum de Compositione medicamentorum. Ingolstadii.* 1541.

a) De hoc vide *Alphabetum I.* meæ *Bibliothecæ Augustanæ.*

Occoni, Phyſico noſtro, *ut componeret epitaphium picturæ congruens; quod et factum eſt* *).

Adolphus Occo Friſius, AA. & Medic. Doctor.

Aſpice, quisquis ades! Chriſti præclara trophæa,
Gratificum inclina corde jubente caput.
Salve ſpes hominum, magnique Inſigne triumphi!
Dic prius: et dictô tutus abire potes.
Salve ſola Deum victrix ſtirps tollere digna
Membraque purpureo tincta cruore Dei!
Tu portaſti illum, mortem qui morte peremit,
Te duce nulla premant hoſtica tela Tuos!

Idem WITTWERUS *l. c. p.* 193. 194. epitaphium Joanni *Rocho b*) â *Noſtro* confectum affert. Mortuus eſt autem *Rochus* ſub regimine dicti Henrici *Fries*, quem abbatialî pedô dira mors anno 1482. die 29. Mart. privavit: & de cuius laudibus, ac litterariis quoque meritis breviter egi in *Alphabeto III.* huius *Bibliothecæ*, *p.* 124.

Joan-

*) Confer *Alphabeth. I.* præſentis *Bibliothecæ p.* 216.

b) *Joannes Ruoch* vel *Rochus*, teſte eodem *Witwero* fuit *oriundus ſive natus de Oettingen, Artium Laureatus, qui prima fronte, quando venit ad noſtras parvitates, regimen aſſumpſit Scholarium; in quo regimine honeſtiſſime converſatus eſt.... Juvenes imbuenda docuit, vitanda ſollerter expoſuit, omnibusque parochiæ hominibus acceptiſſimus fuit. Poſtea factus Sacerdos, dein Plebanus S. Udalrici porrigendis Sacramentis, Confeſſionibus audiendis, quotidianis Celebrationibus, Sermonibus ſacris habendis Deo & hominibus placuit. Cum opulentus eſſet, multa bona tum Eccleſiæ tum monaſterio contulit &c. &c.*

Joanni Rocho Plebano Ecclesiæ S. Ulrici
Adolphus Occo Philosoph. & Medic.

Marmora dum sancti Ulrici et saxa manebunt,
Vivet Joannis nomen honosque Rochi.
Munera clara dedit, Templi quò nobilis olim
Lapsa moles surgat pulchrior, ac fuerat.
Perpetuò hic statuit geminos canere ante puellos,
Infirmos quoties, Christe! vocatus adis.
Hoc quoque, quod Fratres dicunt: *pietantia*, menses
Luna novos quoties inchoat, ipse dedit.
Pergite nunc, studium quibus est auxisse opibus rem,
Thesaurus meritorum ut fata super maneat.

Conscripsit præterea *Noster* anno 1488. sub Abbate *Joanne de Giltlingen* Carmen 17. Distichorum, cuius versiculos aliquot adscribere placet, reliquis brevitatis caussâ omissis:

Adolph. Occo. in honorem Christi crucifixi.

Aspice, qui properas, Christi præclara Trophea.
Vitæ hæc exemplum est una Tabella tibi.
Aspice, si qua potes, nec te fecisse pigebit;
Purior, ac veneras, hinc abiisse licet.
Rex, Deus, Omnipotens, summi Sapientia Patris,
In cruce, amore tuî, viscera tensa gerit &c. &c. &c.

At non apud Abbates duntaxat *San-Udalricanos*, sed et apud duos Episcopos *Augustanos*, Joannem *de Werdenberg*, et Fridericum *ab Hohen-Zollern* valde gratiosus fuit *Noster*. De *priori* ipsemet in hæc verba scribit: *Cui pro singulari*

ri ſua erga me, dum vivebat, benevolentia debeo non minus, quam poſſum. Unde conjicio, nec vane omnino: eum ab hoc Epiſcopo in *Ordinarium* (ut aiunt) adlectum fuiſſe. A *poſteriori* vero dicto eum honore dignatum eſſe certò ſcio, cùm ſemet ipſe *Phyſicum illius* appellet *c*). Ne te pigeat, Lector! hæc audîſſe; quod magnam lacunam, quam BRUCKERUS explere haud potuit, impleant, & multam rebus *Noſtri* lucem affundant. Sed ad alia —

Sic anni complures, ex quo *Noſter Auguſtam* venit, fluxiſſe videntur; usque dum is, famâ latius diffuſâ, fors etiam commendatione Patronorum ſuorum, mox memoratorum, ſuffultus, anno (ut conjicere licet) 1490. ſanitati Principis *Sigismundi* Archiducis *Auſtriæ* tuendæ admotus, magnas gloriæ et facultatum acceſſiones fecit, *Oëniponte* iatricæ artis ſcientia inclareſcens *d*).

Ibi exacto longioris temporis ſpatio, priſtinis circa annum 1494. redditus laribus, & rurſus *Auguſtæ medicinam faciens tanta artis & felicitate & experientia uſus eſt, ut hodiedum inter celeberrimos urbis Medicos minime poſtremum habeat locum.* Audiamus de hoc *Protocollum Collegii Med. Auguſt. T. I. p.* 1. ubi dicitur: „ Adolphus „ Oc-

c) Omnia hæc conſtant ex *Noſtri* Epiſtola, *Obſequionali Auguſtano* anni 1487. præfixa, ad *Erhardum Ratdoltum*, celeberrimum Typographum. De reliquo Joannes *Werdenbergicus* Eccleſiam *Auguſtanam* ab anno 1469 - 1486. Fridericus *Hohenzollerenſis* ab anno 1486 1505. rexit.

d) Aptiſſime hæc cuncta ex Epiſtolis *Noſtri* ad *Reuchlinum*, & *Alardi Amſtelodamenſ.* Litteris ad *Clenardum* BRUCKERUS confirmat. Me latius iſta referre brevitas cui maxime ſtudeo, vetat.

„ Occo, Frisius, cum fuisset Medicus Illustrissimi „ Archiducis Austriæ Sigismundi circa annum „ 1490. tandem circa annum 1494. Augustam „ venit, in ea vixit magnâ cum gloriâ ad an- „ num Christi 1503. &c." Cum hac *Protocolli* auctoritate optime concordant, quæ *Noster* in *Epistola* ad *Reuchlinum* 1494. 4. *Julii* scripsit: *multo se tempore abfuisse ab Augusta.* Quæ verba capere haud potuit BRUCKERUS, utpote rerum, quas superius attuli, notitiâ privatus; sed ex dictis satis clarescunt, et belle sibi invicem respondere dignoscuntur. Dum vero *Protocollum* mentionem *Nostri* primùm ad annum 1494. facit, inducor, ut credam, eum non nisi post reditum ex *Oeniponte* nomen suum albo *Collegii medici* dedisse.

Tandem annô 1503. cælebs, magna nominis sui laude relicta, vivis excessit, inopinata morte raptus. Extat in Ecclesia cathedrali sequens eius *Epitaphium*:

In ambitu.

Dic, rogo! qui transis: Requiescant busta sepulti.
Frisius Adolphus nomine dictus Ocho
Excolui ingenium græcis simul atque latinis,
Orbe vagans, tractus Pieridumque choris.
Me docuit Phœbus versus, artemque medendi;
Hinc mihi divitiæ magnaque fama fuit.
Me miserum! non cautus eram, securus agebam,
Sicque improvisum me fera Parca rapit.
Vos animis igitur vestris, natisque, bonisque
Consulite in tempus: nos brevis hora manet.
Vixit annos 56, Obiit anno 1503.

Humi.

ANNO DNI. MDIII. QUARTO DIE JULII
OBIIT PRÆCLARUS VIR
ADOLPHUS OCCO
ARTIUM ET MEDICINÆ
DOCTOR
CUIUS ANIMA CUM CHRISTO VIVAT.

Liquet ex his, *Noſtrum*, dum improvidentius agit, abs ferali hora occupatum fuiſſe. Veneno ſublatum eſſe, auctor eſt Joann. *Stridbeckius* in *Genealog. Occonum MSSta.* Sed, cum nec facinoris auctorem, nec cauſſam afferat: nec, unde iſta hauſerit, indicet, rem in medio relinquere voluit BRUCKERUS. Quid? Si *Noſter*, venenoſa quædam pro ſtatûs ratione forſitan tractans incautè, mortem ſibimet conſciviſſet?

Hæc de fatis *Noſtri* — De meritis autem eiusdem litterariis ſequentia:

Quantum in lingua *Latina* et *Pelaſga* profecerit, docent *Epiſtolæ* eius ſuperſtites, et idoneorum teſtium auctoritates. *Celtes Petruccius* de *Noſtro* cecinit, comparans eum Rudolpho *Agricola* et Theodorico *Ulſenio*:

Tribus Poetis Friſia nobilis
Claret. Rudolphus primus Agricola...
Adolphus alter, qui Medicus fuit,
Clarus per oram noſtram Alemannicam,
Doctus Pelasgis diſciplinis
Et Latiis pariter Camoenis &c.

Cum *Celte* conſentit laudatus Joann. *Agricola* vocans eum *græce et latine eruditiſſimum*: atque id laudis omnino ſpecialis tribuens eidem, quod linguam Græcam primus in *Germaniæ* noſtræ oras introduxerit.

In

In *Poesi* deinde versatissimum fuisse tum ex *Celte* mox cognovimus, tum ex *Carminibus* Nostri, paulo ante a me speciminis gratiâ adductis, intelligimus.

In *Scientia medica* quantus fuerit, ex eo liquet, quod Viri maximi, tum ecclesiastici tum saecularis ordinis, valetudinem suam ei curandam tuendamque concrediderunt. *Rei medicae experientissimum* fuisse, testis quoque est *Alardus* mox denuo citandus.

Hinc Jacobus *Burcardus* bene de *Nostro* scripsit: „ Quod si medicinam ab Adolpho Occone, „ Frisio, Sigismundi Archiducis Austriae Medico, „ in Germania instauratam affirmavero, non mul- „ tum aberraturum me spero. Non enim medi- „ cinam modo, sed omnes etiam ingenuas artes „ ante Occonis aetatem crassissimis occultas, at- „ que circumfusas tenebris jacuisse in Germania „ novimus. Quid, quod de singulari Viri erudi- „ tione ac propenso maxime ad optimas doctri- „ nas animo elegantes ipsius *Epistolae* neminem „ dubitare sinunt." Duobus autem modis ad reducendas, et pristino nitori restituendas bonas artes incubuit *Noster*; nimirum Bibliothecas insignes parando, et amicitias cum Viris doctissimis contrahendo alendoque.

Profecto Bibliothecam *cum Rudolpho Agricola communem, eamque instructissimam*, Nostro fuisse, testatur *Alardus* Aemstelredamus in *Scholiis* ad *Rudolphi Agricolae Lucubrationes. T. II. p.* 211. addens: illam *Aemstelredami asservari à Pompeio Occone, relictam ei ab Adolpho Occone, avunculo, Viro rei medicae experientissimo.* Equidem BRUCKERUS *l. c.* censuit, verba *Alardi* interpretanda

da esse *de Bibliotheca*, usu duntaxat non possessione, *communi*. Ego vero *Alardi*, scriptoris fermè coævi, testimonium strictè accipiendum esse, reputo. Sic ut *Nostrum* quandam librorum suppellectilem cum *Rudolpho Agricola* communem, quæ *Pompeio Occoni e*) postmodum cessit; tum alteram quoque, privatam sibique propriam, *Augustæ*, habuisse statuamus. Cogunt nos hoc statuere verba *Joannis Agricolæ* inferius in *Occone II.* allegandà (ubi de *Nicolao Alexandrino* agitur) quæ cum verbis *Alardi*, non nisi hac una ratione, componi poterunt. Huius autem privatæ *Occonis* nostri bibliothecæ præstantiam liquidò comprobant & mox memoratus *Nicolaus Alexandrinus* & *Hippocrates* inde in lucem datus, tum aliæ quoque Lucubrationes *græcæ latinæ*que, quæ ibi servabantur. De cætero hunc litterarium apparatum amicis & doctis prostare omnibus utendum voluit *Noster*: unde ad *Reuchlinum* scripsit: „ Ego „ librorum suppellectilem, quanta ubique, et apud „ me est, doctis omnibus, et mihi quoque doc„ tri-

e) *Pompeium Occonem* scribens *Erasmo* Roterodamo anno 1516. die 11. Novembr. *Alardus* βιβλιοταφίαν acriter incusat: *apud quem libri amplius mille delitescant, blattisque undecunque prærodantur, libri reconditissimi iique vetustissimi: hominem, qui apparatissimam Rudolphi Agricolæ suppellectilem librariam negligenter, & clam omnibus asservet.* Sed in Epistola anni 1528. ad Nicol. *Clenardum* præmissa *Tomo II. Opp. Agricolæ* laudat *Pompejum Occonem* (Vix dubito, eundem) quod *domesticum splendorem juvandis, provehendis, ornandisque litteris impendat, atque ita impendat, ut, quemadmodum in aliis omnibus, ita in hoc quoque beneficiorum genere nèminem post se non longo intervallo relinqueret.* Quid hoc? Vel *Alardus* illa priora præcipitantius scripsit: vel *Pompeius* mentem mutavit.

„ trinam exiguam profitenti communem arbitra-
„ tus ſum &c.

Deinde ut de amicis *Noſtri* pauca attexam; ſunt illi mox dictus *Reuchlinus*; Fridericus *Dalburgius*, poſtea Epiſcopus Wormatienſis; *Celtes*: *Pleningerus f*), (alio nomine dictus *Plinius*, Doctor, poſtea *auratus Eques*, Muſas cum Marte nobili foedere jungens) Theodoricus *Ulſenius*; denique ſæpius laudatus Rudolphus *Agricola* eius in ſtudiis præceptor primum, dein collega aſſiduus, et in communi Bibliothecâ ſocius; omnes rei litterariæ in *Germania* inſtaurandæ intentiſſimi, et Muſagetæ eius ætatis celeberrimi.

Ingenii documenta â *Noſtro* relicta typisque vulgata ſunt:

I. *Epiſtolæ III. ad Joannem Reuchlinum*, quæ extant in *Illuſtrium Virorum Epiſtolis ad eundem Hagenoæ.* 1519. excuſis. In *prma* data ex *Oeniponte* anno 1491. in profeſto *S. Catharinæ* gaudet, ſe amari â *Reuchlino*: dolet, quod moleſtiis aulicis irretitus Philoſophiam penitus abdicare compellatur, nec amicis ſibique vivere poſſit. In *ſecunda* data ex *Oeniponte* 10. Kalend. Jan. 1494. idem conqueritur, et amicum de turbis bellicis, quæ *Romam* tum infeſtabant, edocet. *Tertia* data ex *Auguſta* 4. Julii. 1494. litterarii argumenti eſt. *Redeunt*, ait, *ecce! Baſilius tuus et Cato*... *Baſilium mendis territus innumeris exſcripſiſſe moleſtum duxi. Cato tibi mancus fuit; ego integrum feci, ut cum fœnore rediret*.... *Catonem igitur* *inte-*

f) De hoc vide CRUSIUM in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 533. ubi *Epiſtola* illius ad *Reuchlinum* exhibetur. De reliquis plura afferre minime opus eſt; cum laudibus eorundem totus perſonet litteratus Orbis.

integrum recipe, quem evolutis ſarcinulis meis aliquot codicillis neglectum inveni, tibi quoque in gratiam abſolvi, plura facturus, libroſque meos omnes etiam abditiſſimos communicaturus, ſi expoſtulas.

II. *Epitaphia in obitum Rudolphi Agricolæ.* Hæc *Noſtrum* collegiſſe teſtatur ADAMUS in *Vitis Medicor. p.* 176. Habentur ante *Lucubrationes Agricolæ, T. II.* ab *Alardo* editas, in 4.

OCCO (*Adolphus*) *II.* Hic *Brixinæ* (non *Brixiæ*, quæ eſt *Italiæ* urbs) epiſcopali in Comitatu *Tyrolenſi* ſede, anno 1494. in hanc lucem editus, et abs *Occone I.* in filium adoptatus, ad Medicinæ ſtudium ſe contulit; in quâ, uti et aliis humanitatis artibus, eos progreſſus fecit, ut anno 1519. in Academia *Bononienſi* Doctoris medici Inſignibus decorari meruerit. Inde, poſt ſuprema *Maximiliani I.* fata, in *Germaniam* remeans, *Auguſtam* venit, ibique artem ſalutarem exercendo civibus ultra 50. annos inſerviit.

Anno 1523. X. Kalendas Maji, nobilem virginem *Helenam*, nobilis Viri Leonardi *Weiſii II.* et Helenæ *Spæniæ* filiam, uxorem duxit; ex quâ *Adolphum Occonem III.* poſtmodum tum medicæ, tum aliarum ſcientiarum famâ celeberrimum genuit *a*). Patritia quoque dignitate in eadem urbe floruiſſe *Noſtrum* ex inferius dicendis conſtat.

Mox dicto anno (1523.) *Adolphum* hunc inter *Phyſicos* urbis adſcriptum fuiſſe, tradit *Bruckerus l. c.* ſed huic contradicit Paulus â *Stetten* in *Hiſtoria* vernacula *Urbis Auguſtanæ, T. I. p.* 303. idque primum anno 1526. (provocans ad

a) Solidis hæc omnia argumentis communit BRUCKERUS.

ad Senatûsconsulta dicti anni) factum fuisse monet. Utcunque sit, inter Poliatros urbis receptus, primo 60. mox 100. tandem 120. florenorum stipendium per triginta fere annos meruit, Nosocomæo quoque, quod miseris et minoris census hominibus illustrissima *Fuggerorum* pietas erexerat, visitando præfectus.

Neque solum praxeos clinicæ felicitate cives Augustanos, sed et edito Libello *de Peste*, quæ magnam in urbe stragem ætate illa edebat, egregie adjuvit. At de hoc postea.

Sic laudabilibus et utilissimis laboribus insenescens, supremis denique fatis concessit anno Christi 1572. ætatis 77.

Extat a *Nostro* Tractatus mox dictus, quem (Senatûs, communi malo, plus quam tredecim millia civium rapienti, communia Medicorum conamina opponenda esse sapienter judicantis mandato) junctis cum Collegis suis Gereone *Seilero*, Wolfg. *Thalhausero* *) Jo. *Tiefenbacho* viribus anno 1535. publicavit hoc titulo: *Was die Pestilenz an ihr selbs seye mit ihren Ursachen und Arzneyen, den Ehrsamen und weisen Burgermeister und Rathe auch ganzer Gemein der Stadt Augspurg, durch die bestellten Doctores daselbst, zu Nutz und Gut gemacht* &c. in 4. (*Augsspurg*) *durch Philipp Ulhard.*

*) Hunc inter *Germaniæ* Medicos, qui ante *Theophrastum Paracelsum* chymica medicamenta, â se confecta, ægris repræsentârunt, numerandum esse, docet *Kestnerus* in *Medicinisches Lexicon.* Martinus vero *Crusius* in *Annal. Suev. Dod. III. p.* 643. ad annum 1540. inter *Inscriptos* Academiæ *Tubingensis* recenset his verbis: *D. Wolfg. Thalhauser, Medicinæ Professor;* unde patet, eum *Augustâ Tubingam* migrâsse, eoque in Athenæo medicæ artis præcepta tradidisse.

hard. Annum impressionis, qui typis non expressus est, esse annum 1535. et Tractatum hunc *Nostro*, non filio eius (ut nonnulli Scriptores falso asserunt) *Occoni III.* etsi et ipse quædam *de Peste*, sed latinè, congessit; tribuendum esse, invictis argumentis probat *l. c.* BRUCKERUS.

Et hæc quidem pro *Republica Augustana* et in materia medica præstitit *Noster*; quantus vero *Reipublicæ litterariæ* universim provehendæ atque ornandæ ardor in ipso fuerit, sequentia commonstrabunt. *Adolpho* nostro debet orbis litteratus *Hippocratem*, illum Medicorum Principem, & *Nicolaum Myrepsum*, Alexandrinum Medicum, *de Compositione medicamentorum*; quos etsi *Noster*, forsitan artis negotiis nimium impeditus, suo Marte non dedit, tamen, ut ederentur, studiose curavit.

Atque ut de *posteriori* (Myrepso) dicam; vulgavit hunc *Jo. Agricola* Ammonius, Professor *Ingolstadiensis b*) in 4. *Latine. Ingolstadii.* 1541. monens in ipso Titulo: „ Habes, candide Lector! Nicolai Alexandrini Librum integrum & in sexcuplo majorem, quam antea habere licuit... Arbitrati igitur sumus ego & *eruditissimus Vir Adolphus Occo* Medicus Augustanus, *cuius auspiciis iam renascitur Nicolaus*, nihil amplius desideraturos, ubi Librum hunc non frustillatim sed integre sint accepturi. " In nuncupatoria vero ait: „ Communem autem nobis fecit hunc præclarum Librum eruditus Vir, Amicus noster summus, *Adolphus*, *Occo*.. qui cum Ambrosio Jung, Gereone Seilero Augustanis „ Me-

b) De hoc vide *Annales Academiæ Ingolstad. T. I.* sæpius.

Medicis .. cum Joanne Cuphnero Trochoreo, Physico Hallensis oppidi in convallibus Oeni, cum pluribus aliis Medicis celeberrimis me certatim inhortatus est ad Libri huius editionem: qui renovatus prodiit ex illa D. *Adolphi* Medici Augustani bibliotheca, in qua paucis supra diebus Hippocratis medicinales Libri, in qua Auctor lingua scripsit, reperti Germaniae chalcographis commodati sunt excudendi. Siquidem Adolphus (*puta: primus*) Adolphi (*puta: secundi*) *parens adoptator*, natione Phrysius, & rarae eruditionis Vir, Rudolphi Agricolae discipulus, graece et latine eruditissimus, omnium primus Graecanicam linguam Germaniae nostrae invexit." Tum pergit: „Servanturque in eadem bibliotheca Libri aliquot tum graeci tum latini nondum excusi uspiam, quos (*Adolphus II.*) si gratos hos labores futuros Studiosis simul atque cognoverit, non gravabitur identidem communicare bonis omnibus." Et *Taus Alpinus* in Carmine propemptico de *Nostro* unit:

Hîc (*Augustae*) Vir Patritius, doctrina magnus in omni,
„ Ac celebris Medicus, Doctor *Adolphus* agit.
Vir pius ergò sui bona, reddit publica, juris:
„ Queisque inhiare unus quiverat, edit opes.
Quid? quod ea *Agricolae*, quo non praestantior alter
„ Doctor apud Medicos, expolienda dedit *c*).

Sa-

c) De editionibus *Nicolai Alexandrini* vide Jo. Alb. *[Fab]ricii Biblioth. graec.* ubi etiam de vero Libri Aucto[re] intelliges.

Satis ex præmiſſis liquet, *Noſtrum*, ante editum *Nicolaum Alexandrinum*, permagnô rem litterariam beneficiô affeciſſe, dum ad edendum *Hippocratem d*) ſymbolam ſuam contulit, Jano *Cornario* Codicem MSS. græcum transmittens, de quo ille in Dedicatione ad Matthiam *Heldum* ſummum Cæſareæ Majeſtatis Cancellarium, *Hippocratis Coi Libris omnibus &c. Baſileæ.* 1538. *Græce. Apud Frobenium.* præfixa teſtatur: ſe Auctorem hunc græcum *ad tria vetuſtiſſima Manuſcripta, quorum unum* inſignis Medicus Auguſtanus Adolphus Occo, *alterum Jo. Dalburgii bibliotheca, poſtremum Hieronymus Gemuſæus ... commodato acceptum à Nicolao Copo, exhibuerunt, correxiſſe &c.*

Necdum ſatis — Simile eſt benevolentiæ genus, quod per filium ſuum *Noſter* Conrado *Geſnero e*) famoſo illi *Bibliothecæ univerſalis* conditori, præſtitit, uti is ipſe in *Epiſtola* ad eundem filium *Occonem III.* monuit, dicens: *Catalogus bibliothecarum parentis atque tuæ, quo vetuſtiores tantum ac rariores libros enumeras, perjucundus mihi eſt, & permulta in eo, hactenus mihi incognita, reperio, quorum uſus erit ad* Bibliothecam *meam &c.*

Haud plura ſunt, quæ de *Noſtro* in medium afferam; eoquod illa, quæ filius eius *Occo III.* tum de patre, tum avo ſuîs collecta, dicto *Geſnero* olim ſubmiſit, temporum injuriâ interciderunt. De reliquo *Noſtri* mentio recurret *inferius* in *Ambroſio* IUNGIO *ſeniore*, *N. III.*

OC-

d) Hippocratis Opera & editiones enumerat idem *Fabricius l. c.*

e) V. Eius *Epiſtolas medicinal. L. I. p.* 62.

OCCO (*Adolphus*) *III.* anno 1524. die 17. Octobris *Augustæ* vitalem auram haurire; & quamprimum per ætatem licuit, gloriæ ac meritorum viam, avi monitus exemplo, patris formatus institutionibus, ſtrenuò terere cœpit. Adultior in Academiam *Tubinganam* ſeſe contulit teſte *Cruſio*, qui eum ad annum 1544. inter *Inſcriptos* nominat. Ibi cum multa eruditionis fama tum temporis Jac. *Scheckius* Medicinæ Doctor docebat, quem ſedule auditum à *Noſtro* fuiſſe, nullus dubito. Sic ad propoſitam metam impigre currens, *Italiam* petiit, ubi in Univerſitate *Patavina* Jo. Bapt. *Montano*, Aloyſioque *Bellacatto* operam impendit *a*) ac demum anno 1549. die 16. Septembr. ſummis in Philoſophia & Medicina honoribus *Ferrariæ* Italiæ urbe ex merito inſignitus eſt.

Eodem annô in patriam rediens, medicinam tanta felicitate fecit, diligentiſſimus paternæ avitæque gloriæ æmulator; ut anno 1564. die 6. Maji. *officinis pharmaceuticis conſtituendis et emendandis, empyricis quoque, obſtetricibus, agyrtis & huius generis hominibus examinandis præficeretur b*), *ſtipendio ducentorum florenorum annuo à Sena-*

a) V. *Cruſii Annal. Suev. Dod. III. p.* 652. & ipſam Noſtri *Pharmacopœam Auguſtanam.* in 12. *Auguſtæ.* 1574. *p.* 702. Hæc omnia fugerunt ſollertiſſimum ceteroquin *Bruckerum.*

b) Conſentit Paulus *à Stetten*, in *Hiſtor. Auguſt. T. I. p.* 556. non niſi in anno, quo hoc factum, varians: *Anno* 1563. *im Monath October verordnete der Rath, daß hinfuhro alljährlich die Apothecken viſitirt werden ſollen, und trug dieſes Geſchäft Joh. Bapt.* Hainzeln, *Wolfgang* Herwart, *und Bartholom.* Mayen, *nebſt vier Medicis, nämlich D. Adolph* Occo, *Achill.* Gaſſern,

 Luc.

Senatu munifice auctus. *Immo cum anno* 1582. *doctissimi Medici*, *Lucæ* Stenglii *c*) *suasione* ac *ductu* *Collegium medicum institueretur*, *certisque legibus firmaretur*, Noster *primo omnium loco eiusdem Decano Collegii* Vicarius perpetuus *adjunctus fuit*; *cui muneri tanta dexteritate præfuit*, *ut sese Proceribus Reipublicæ nullo non tempore eximie probaverit d*).

Tempus deinde, â medicis curis atque occupationibus liberum, minime otiose sibi prætermittendum esse ratus, litterario sacravit otio: cúmque, præter artem medicam, multarum aliarum scientiarum notitiam haberet, conscribendis varii argumenti Libris operam impendit, de quibus *infra* differam.

Hæc inter anno 1588. *Adolphum* vehemens procella, at ultro accita, invasit. Repleverant eo tempore Civitatem *Augustánam* graves de *Calendario Gregoriano* recipiendo, & *de Vocatione Ministrorum Verbi* discordiæ. In his *Noster* dum libertati *Protestantium* insidias strui suspicacius, quam solidius cum pluribus aliis credit, & placitis senatûs parere obstinatius renuit, ab officiis publicis, quæ hactenus gesserat, dimovetur & stipendiis suis privatur.

Huic

Luc. Stenglin, *und Christoph* Heybergern, *wie auch einem Gewürzhändler Hieronym.* Krayern *auf. Uber dieß wurde auch auf dero Gutachten ein besonderer Artzney-Tax vorgeschrieben.*

c) De hoc vide *inferius.*

d) Hactenus allata BRUCKERUS *l. c.* debitis auctoritatibus fuse communit (quas rescribere nolo, ne justæ brevitatis limites excedam) refellens et emendans insuper errores plurium Scriptorum, qui de *Nostro* falsa prodiverunt.

Huic casui cum octodecim annos supervixisset, demum completo vitæ mortalis cursu ad plures abiit anno 1606. die 28. Septembr. tumulum nactus in *D. Annæ* æde, ubi vivus sibi suisque monumentum erexerat sepulchrale *e*) his verbis:

ADOLPHUS. OCCO. ADOLPHI. F. ADOLPHI. N.
MEDICUS. REIP. AUGST.
HOC. SIBI. MONUM. V. P.
VT. IN. EO.
CUM. VXORE. AC. LIBERIS.
AD. EXTREMUM. USQ. JUDICII. DIEM.
MOX. ADFUTURUM.
MORTUUS. QUIESCERET.
TU. VIATOR. QUISQUIS. ES.
QUIETI. LOCUM. NON. INVIDEAS.
VALE. ABI.

Qui fuit æternæ Christus mihi causa salutis,
Exuviis rursus vestiet ossa meis.
Eius dum reditu mihi vita salusque paratur,
Interea tumulo molliter ossa cubent!

Vixit annos 41. menses 10. dies 28.

Conjugium iniit duplex, utrumque multa prole fæcundum. *Primum* contraxit anno 1554. die 20. Augusti cum *Anna Dettighoferia*: *secundum* anno 1577. die 18. Novembris cum Regina *Geyershofia*, ambabus honestissimo genere natis. Ex *primi* thori Liberis memorandus est *David*, natus die 13. Octobris anno 1567. *Basileæ* anno 1587. die 24. Augusti Doctoris medici jura, insignia, privilegiaque consecutus: *Augustæ* mox insequentis mensis Septembris die 10. in *Col-*

e) Exhibet illud *Dan. Praschius* in *Epitaph. Augustanis*, *P. I. p.* 137.

legii medici album relatus. Huius manu descriptum *Jacobi Stradæ Prospectum Thesauri XI. Linguarum*, possedit *Jo. Wern. Huberus Basilensis f)* Mortalitatis exuvias filius ante patrem deposuit, *Viennæ Pannoniorum* die 11. Julii anno 1595. extinctus. Ex Liberis *secundi* thori nominari meretur *Adolphus*, prognatus anno 1578. die 24. Septembris: itidem in *Basileensi* Universitate doctoralibus insigniis anno 1600. die 23. Octobris decoratus: eodemque anno die 16. Decembris inter Medicos *Augustanos* adscriptus. Decani dignitate bis functus est, nosocomæo simul publico, & pharmacopoliis examinandis præfectus. Quæ nuptiis *huius*, uti & antea *patris* Amici accinuerant, collecta exhibet teste *Ehingeri Catalogo Biblioth. August. p.* 853. Libellus: *Carmina in nuptias D. Adolphi Occonis*, ἐκ τριγονίας ἰατρῦ, *& filii* ὁμωνύμυ τε καὶ ὁμοτίχνυ, *ab Amicis scripta. Aug. Vindel.* 1601. Obiit vix quinquagenarius ex lue epidemica, anno 1628 *g)*.

Habes, Lector! synopsin fatorum, quibus *Adolphus*, posterique eius, memoriâ aliqua digni, in hac vita usi fuerunt — Iam de reliquis ad *Nostrum* attinentibus —

Fuit *Adolphus* staturâ pusillus, et infirmæ valetudinis, annis plus quadraginta angustiis thoracis laborans, quæ tamen Deo dante impedire haud poterant, quin vita ei longævior esset. Fuit in exequendis muneribus sedulus. Fuit fidus erga amicos et insigni eisdem gratificandi promptitudine: hos inter e. g. nominibus suis vocare pla-

f) Ita testatur impressus *Catalogus Bibliothecæ*, quam is *Huberus* paraverat, *p.* 65. *n.* 26.

g) Vide *Bruckerum l. c.*

placet Hieronymum *Wolfium*, Nicolaum *Reusnerum*, Nicodemum *Frischlinum*, Joannem *Vivianum*, Joannem *Posthium*, P. *Melissum*, Georgium *Cleminium*; Davidem *Hoeschelium*, Marcum *Henningum*, Franc. *Modium*, Mart. *Crusium*, Robert. *Titium h*), Marcum *Velserum*, et, qui hos inter, aliosque sexcentos, principatum tenere videtur, Conradum *Gesnerum i*), omnes permagni in orbe litterato nominis Viri.

Fuit *Noster* ingeniô magnus, variisque scientiis excultissimus. Linguam *Latinam* ac *Græcam* optime tenuit, adeo ut nonnulla a se ex idiomate Graio conversa Latinæ consuetudini dederit. Fuit in *Carminibus* scribendis nec inexercitatus, nec inelegans. Fuit artis, quam profitebatur, *medicæ* experientissimus. Fuit denique in *Philologia*, in re *nummaria* et *antiquaria* versatissimus. Inutile foret & abhorrens â brevitatis semel propositæ instituto, Virorum doctorum de his omnibus judicia sententiasque coacervare: tum quod res per se cognita satis sit; tum quod *Catalogus operum Nostri*, inferiùs dandus, quæ a me affirmantur, validissime confirmet, luceque meridiana clariùs demonstret.

His rebus omnibus effectum est, ut *Adolphus* noster magna ubique fama, magna omnium existimatione floreret: nomenque *Occonianum* non Eruditos solum aut alio titulo spectatissimos Viros,

h) Hic in *Epistola*, quam inter *Velserianas*, *Opp. pag.* 867. habes, recipi se inter amicos â *Nostro* flagitat.

i) V. *Gesneri Epistol. medicin.* quæ significantissimis amoris erga *Nostrum* testificationibus scatent: et quarum *tomulus alter* non nisi *Epistolas* ad *Nostrum* datas complectitur.

tos, sed etiam Romani orbis caput, Cæsarem *Maximilianum II.* admiratores haberet. Certe hic Imperator, publicam *Nostri* famam augustissimo suo judicio veluti comprobaturus, & gloriæ *Occonianæ* coronidem impositurus, non tantum jura Nobilitatis *Nostro* eiusque nepotibus, dato anno 1573. ad diem 24. Novembr. Diplomate confirmavit, sed Insignia quoque clementissime auxit addito *Aquilæ in altum surgentis* symbolo; ut quô locô habenda esset virtus *Occoniana*, omnes intelligerent. Extant in hanc rem *Epigrammata in Occonum Insignia*, quæ à Viris doctis conscripta, prima vice *Augustæ Vindel. ad Insigne pinûs*, anno 1601. typîs prodiverunt *k*). Præterea Imago Nostri Numismatibus, gloriæ ergo studiose cusis, honorata fuit. Horum duo, ex argento, affert BRUCKERUS *l. c.* Inscriptio *prioris* est:

ADOLPHVS. OCCO. A. F. A. N. A. P.
MED. R. P. AVG. AE. L.
VIRTVTES. PRAEMIIS. DECORANTVR.
MAXIMIL. II. IMP. P. F. AVG. MVNVS.

Non possum non consentire *Bruckero*, bene monenti, hoc Numisma *Nostro* a *Maximiliano II.* dono datum esse, quando ei Diploma Nobilitatis misit. Inscriptio *secundi* est sequens:

ADOLPHVS. OCCO. A. F. A. N. MED. R. P. AVG. AE. LXXXII. *)
VITA. MIHI. CHRISTVS. MORS. ERIT. IPSA. LVCRVM.

Duo-

k) Addidit quoque ea *Bruckerus* suæ *Historiæ Occonum*: inter quæ notatu maxime dignum, *Panegyricum* in *Occonum* Triadem, *Marci Henningi*.

*) Studiose posui: MED. R. P. AVG. cum quod apud *Bruckerum* invenitur: MED. R. R. AVG. sensum haud habeat.

Duobus istis Nummis adjungere debeo *tertium*, qui ad juvenilem *Nostri* ætatem spectat, fors in honorem adepti ab eo Doctoratûs medici vulgatus, ex una tantum parte inscriptus verbîs sequentibûs:

ADOLPHVS. OCCO. A. F. A. N. A. P. M. D.
AE. 25.

Hunc exhibet *Musæum Mazzuchellianum*, *T. I. Tab. XCVII.* meô quidem judiciô sic interpretandum: *Adolphus Occo*, *Adolphi Filius*, *Adolphi Nepos*, *Adolphi Pronepos*, *Medicinæ Doctor*, *ætatis* . 25. Quod si magis placet: *Adolphi Filius*, *Adolphi Nepos*, *Augustanus Patritius &c.* non est, quod disputem (etsi non probem) cum hac dignitate jam patrem eius splenduisse, superiùs ex *Tatio Alpino* docuerim.

De Nummis satis. Superant autem et *Icones* tum in ære cælatæ, tum ligno incisæ, vultum, oculos, oraque *Nostri* referentes, ut hoc quoque modo memoria eius indelebilis esset. Harum aliquas se suis oculis usurpâsse *Bruckerus l. c.* monet.

Sic iîs, quæ ad Vitam, Eruditionem, Famam *Nostri* spectant, expositis, jam ad Opera eius enumeranda pergere juvat. Sunt ista:

I. *Georgii Gemisti Plethonis elegans ac brevis quatuor Virtutum Explicatio, græce et latine, nunc primum edita, Adolpho Occone, Physico Augustano, interprete:*

II. *De Moribus Philosophorum Locus ex Platonis Theæteto, item græce et latine, eodem interprete. Adjunximus Aristotelis de Virtutibus et Vi-*

tiis Libellum l). in 8. *Basileæ*, per *Joannem Oporinum*. Hæc *Noster* in gratiam *adolescentum tum utriusque linguæ*, *tum bonorum morum studiosorum* a se versa, anno 1552. die 1. Januarii, *Hieronymo Fuggero m*) adolescenti *memor veteris cum illo conjunctionis* dicavit. Confer *Bruckerum l. c.* ex quo discimus, binos hos Tractatus postea junctim prodivisse *ter*, cum aliis similis argumenti Lucubrationibus, in Libro: *Doctrina recte vivendi ac moriendi &c. &c. Basileæ*. Confer *Alphabetum VII.* meæ *Biblioth. Augustan. p.* 189.

III. *Carmen* in Obitum *Conradi* GESNERI, amicorum suorum (ut audivimus) Principis. Tribuit *Nostro* SIMLERUS in *Biblioth. p.* 7. & ADAMUS in *Vit. Med.* atque ex his BRUCKERUS *l. c.*

IV. *Epistolæ II. ad Martinum Crusium* argumenti historici, à BRUCKERO penitus omissæ. Affert eas *Crusius* in *Annal. Suev. Dod. II. p.* 522. & 563. *Prior* data est anno 1589. Calend. Martij. *Posterior autem*, 4. Calend. Aprilis. Ambabus occasionem dedit conjugium *Philippi* Sueviæ Ducis & *Irenes*, Imperatoris Constantinopolitani filiæ, quæ *Lorchæ* in Ducatu Wirtembergico sepulta jacet. Quærebatur autem *de Nuptiis hisce*: *de earum loco*: *de Proceribus*, *qui illis adstiterunt?* Duabus Epistolis *Adolphi* juncta est Epistola *Jo. Georg.* à WERDENSTEIN ad *Nostrum*, qui, amico *Crusio* magis inserviturus, etiam huius doctissimi *Canonici* cathedralis Ecclesiæ *Augustanæ* de istis rebus

l) Hunc convertit *Simon Grynæus*, cuius insuper adjecta est *Virtutum exactior divisio*.

m) *Fuggeri* istius laudes habes in *Genealogia Fuggeriana*.

bus sententiam exquisiverat *n*). In ea vocat WERDENSTEINIUS *Nostrum* Virum *multijuga eruditione ornatissimum*, *Medicum*, *Philosophum*, *Polyhistorem* & *Amicum singularem*.

V. *Epistola græca ad Conradum Gesnerum de Oxymeli helleborato, aliisque ad rem medicam spectantibus*. Extat in *L. II. Epistol.* eiusdem *Gesneri*, *p.* 58.

VI. *Epistola medica de Rheubarbara*, *ad Incertum*. Habetur in *Cratonis Consiliis & Epistol. medicinal.* quæ *Laurentius Schotzius* edidit, *Francofurti*, apud *Hæredes Andr. Wechelii* 1598. iterum *Hanoviæ* 1610. Patet ex hac *Epistola*, quantùm *Nostro* faverit Jo. Bapt. *Montanus* Professor; nam in fine sequentia addit: *Ista nobis* .. Montanus *communicavit privatim domi suæ*, *mihi nimirum & Hieronymo Scribæ p. m. ceteris omnibus absentibus*: *quæ ùt bona sunt & nemini fere cognita*, *etsi usus Rhabarbaræ sit apud Medicos quotidianus*, *ita tibi soli serves*, *rogo*.

VII. *Conclusiones de Peste.* De his *Simlerus* in *Bibliotheca*, *p.* 7. monet: *Scripsit Conclusiones* 31. *ad Quæstionem*: Num lues, quæ pestis dicitur, necessario habeat adjunctam febrim pestilentem vel putridam vel hecticam, ita ut vel contenta cordis, vel ipsius substantia putreat necessario? *Lipenius* in *Bibliotheca medic. p.* 341. sequentia memorat: *Adolphi Occonis Conclusiones XXX. de peste. Augustæ Vindel.* 1573. Confer *Adamum* in *Vit. Medic. p.* 177. & alios. Nec mihi, nec *Bruckero*, quem *l. c. p.* 54. videsis, oculis usurpare hunc fætum *Nostri* licuit. Cæterum conse-

n) Addes ista, Lector! iis, quæ de *Werdensteinio* in *Alphabeto IV*, meæ *Bibliothecæ* attuli.

feras, Lector! velim, quæ in *Luca Stengelio N. III.* infra dicturus sum: insuperque advertas: *Consilium contra pestem*, quod *Nostrum cum aliis Reipublicæ Augustanæ Medicis juratis* edidisse *Simlerus* & alii affirmant, non *Nostri* esse, sed enim patris, *Occonis II.* uti *superius* dixi.

VIII. *Pharmacopoeia Augustana.* Opus *Occonis* nostri in materia medica præcipuum, Senatui *Augustano* sacratum, cuius Historiam *Bruckerus l. c.* per multa folia exponit: ego, brevitatis gratiâ, contractiorem do.

Cum anno 1564. *Nostro* (ut diximus) cura inspiciendarum et examinandarum officinarum pharmaceuticarum demandata esset, inde is *Medicamentarii* istius conficiendi occasionem captavit. Videns namque pharmacopolas antiquorum Medicorum *formulis* nec satis accuratis, nec satis certis, nec satis ad amussim præscriptis uti, magnamque ob id in re pharmaceutica perturbationem dominari, ex muneris suscepti ratione illustrem Senatum de necessitate mali hujus abolendi edocuit, eiusdemque auctoritate fultus, ad exemplum *Valerii Cordi*, qui simile quid ausus fuerat, scribendo Operi manum admovit; in quod selectiora præstantioraque tum veterum tum recentium medicamenta multo studio congessit, et *Collegarum* suorum operâ, quos per id temporis urbs *Augusta* plures, eosque doctissimos, aluit (uti præsens hæc *Iatrologia* mea liquidò docet) et *Amicorum* exterorum judiciis haud fastidiose usus. Sic anno 1564. in dias luminis auras prodiit *Pharmacopoeia seu Medicamentarium pro Republica Augustana, cui accessere Simplicia omnia officinis nostris usitata, et Annotationes in eadem*

et

et Composita, ab Adolpho Occone eiusdem Reipublicæ Medico diligenter congesta.

Quanto Medicorum totius *Germaniæ* consensu, quam constanti approbatione exceptum fuerit Opus hoc & excellentissimum & utilissimum, duæ res evincunt: Eruditorum scilicet honorificentissima testimonia: & Editionum factarum multitudo. Atque ut primùm testimonia Doctorum adducam; audiamus *Thomam Bartholinum* in *Præfat.* ad *Dispensatorium Hafniense* dicentem: *Sequuti sumus presso pede instructissimam Augustanorum Pharmocopoeiam, ad cuius normam pleraque nostra exegimus.* Bartholino consentiens *Herm. Conringius* in *Introduct. in Artem medicam, c.* 11. §. 12. monet: *Pharmocopoeia Augustana obscuravit pene famam Dispensatorii antiqui Norimbergensis, sive Valerii Cordi. Quanquam enim Norimbergenses Dispensatorium suum maiori opera recudi curaverint, prævaluit tamen Augustani auctoritas, ita ut pleræque Germaniæ officinæ pharmeceuticæ normam illius quam maxime sequantur.* Finiat *Jo. Theodorus Schenckius* initio *Synopsis Instit. medic.* Collegium medicum *Augustanum* hisce alloquens: *Dispensastis una cum Pharmacopoeia plus quam regia, & cui antea maior nulla, nec posthac ulla aliqua erit superior, famam vestram.* Hæ, puto, auctoritates (Multas omitto alias) sufficient, ut quantus honor Pharmocopoeiæ *Nostri* habitus sit, cognoscant singuli ac universi. Nemini posthæc admirationem ciebit Editionum factarum multitudo: Harum alias meis ipse usurpavi oculis, alias apud Scriptores connotatas observavi. Primævæ editioni anni 1564. successerunt sequentes, *anni* 1572. per Michaelem Mangerum; *anni* 1573. per eun-

eundem; *anni* 1574. per eundem; *anni* 1577. Georgii Willeri sumptibus; *anni* 1578; *anni* 1580. Georgii Willeri sumtibus; *anni* 1581. per Michaelem Mangerum; *anni* 1597. per Valentinum Schoenigk: et si quae forte sunt aliae mihi incognitae.

Caeterum *Pharmacopoeiae* huic honor suus non solùm *Nostro* in vivis agente constitit; sed etiam ultra suprema eius fata prorogatus est. Namque illam *Collegium medicum* anno 1613. cum *Praefatione* et eruditis *Prolegomenis* doctissimi Medici *Ray. Mindereri o*) rursus edidit, denuo exin recusam: idemque *Collegium* anno 1640. cum *Praefatione Joannis Henischii* noviter vulgavit, iterum multoties reimpressam. Post tot Editiones, post tantos *Germaniae* imo etiam *Europae* applausus, tandem prodiit in scenam *Joannes Zwelferus*, Palatinus, medicinae Doctor, *superbo satis ac praefidenti animo*, dictamque *Pharmacopoeam* edito scripto impugnare adorsus est. Sic initium datum bello litterario sat diuturno, cuius historiam prolixe enarrat *l. c. Bruckerus*, quem, si lubet, consulas. Ego eam, cum ad *Nostrum* proxime haud amplius attinere videatur, penitus silendam duco. Interim ista omnia impedire neutiquam potuerunt, quin *Pharmacopoeia Augustana* novis curis recognita, annis 1684. 1695. 1710. 1734. multa cum approbatione foras denuo ederetur.

IX. *Imperatorum Romanorum Numismata à Pompejo magno ad Heraclium, quibus insuper additae sunt Inscriptiones quaedam veteres, Arcus triumphales, & alia ad hanc rem necessaria, summa diligentia & magno labore collecta &c.* in 4. *Antver-*

o) De *Mindereri* meritis egi in *Alphabeto VI. Biblioth. August.*

verpiæ. Ex officina Plantiniana. 1579. Hanc *primam* editionem dicavit *Noster Alberto* Comiti Palatino Rheni, dicens: „ ſe cognitionis nummariæ elegantia & utilitate accenſum ab annis 24. „ multâ diligentiâ nummos, quoscunque hactenus ſibi videre contigiſſet, in hunc Commentarium exactiſſime contuliſſe, præteritis magna „ ex parte aliis omnibus, quos videndi facultas „ ſibi hactenus denegata fuit. Eorum autem, „ quos exhibet, bonam partem cum ex hæreditate paterna, tum aliunde petitam ſe poſſidere: „ plurimos abs illuſtriſſimis Principibus, nonnullos ex theſauro *Marci* FUGGERI *p*), reliquos „ ſive a ſplendidæ, ſive mediocris conditionis hominibus eſſe mutuatum &c. &c. *q*)." Editio *ſecunda* prodivit in 4. anno 1601. ex typographia *ad inſigne pinûs*, titulo ſequenti: *Impp. Romanor. Numiſmata a Pompeio magno ad Heraclium. Editio altera multis nummorum millibus aucta.* Hanc *Noster* ſacravit *Jo. â Schellenberg Domino in Hüſingen, Stauffen, Randegg &c. ſtudiorum & ſtudioſorum Mecœnati ſummo.* In qua *dedicatoria* monet: „ Quia crebris amicorum hortationibus, „ *Tuis* præſertim & *Marci Velſeri*, qui ad hoc opus

p) De *Marco Fuggero* egi in *Alphabetô VII. Bibliothecæ Auguſtanæ*, ubi hæc, & quæ *N. X. ſequenti* narro, addere debes.

q) Huius editionis exemplar vidi in Bibliotheca *Collegii*, quondam *Societatis Jeſu*, Auguſtani, dono oblatum *Hieremiæ Martio* hac epigraphe: *Clariſſimo Viro D. D. Hieremiæ Martio fide, doctrina, & artis uſu præſtanti Medico R. P. Aug. digniſſimo Populari & Collegæ ſuo obſervando Auctor benevolentiæ ergo D. D.* Effigiem antem ſuam & Inſignia (â *Maximiliano II.* aucta) in ligno inciſa piûs verſibûs ſupra infraque ornavit *Noſter.*

„ opus ſuſcipiendum ac perficiendum ſumptus uſ-
„ tro ſuppeditavit, monitis urgebar, qualemcun-
„ que hunc laborem denuo ſubivi, eumque tibi
„ dedico jubente eo, qui me in amicitiam tuam
„ perduxit, *Jo. Jac. Ruegero*, Viro docto & an-
„ tiquitatis ſtudioſiſſimo.“ Excurrit ſubin in laudes *Schellenbergii*, ac demum hisce finit: *Accipe igitur Opuſculum noſtrum quà emendatum, quà amicorum & meis copiis auctum, quò in certum ordinem redigendò* Marcus Velſerus *Reipublicæ noſtræ Duûmvir ... plurimum me juvit.* Poſt fata *Noſtri* anno 1625. idem Opus vulgatum eſſe *Hanckius* in *Scriptor. Rer. Roman. P. I. p.* 262. & *Theoph. Georgi* in *Bücher-Lexicon* monent. *Lipenius* in *Biblioth. philoſoph.* etiam editionem anni 1626. (fors per errorem typi) addit. Sed neque *Bruckero*, neque mihi poſthumas has editiones videre licuit. Superiorum vero editionum *priori* præluſerunt *Carmine* Hieronymus *Wolfius*, Nicolaus *Reuſnerus*, Nicodemus *Friſchlinus*; *poſteriori* etiam David *Hoeſchelius*, Joann. *Ortelius* Cycnocomæus, Joann. *Scheurlinus* Medicus Auguſtanus *).

Ob rei nummariæ ſcientiam & ſtudium, quod *Noſter* in difficili Opere iſto concinnando inſumpſerat, eum paſſim Viri doctiſſimi multis laudibus (Horum nomina & elogia late proponit *l. c. Bruckerus*) affecerunt, ne iîs quidem exceptîs, qui nævos huius Lucubrationis detexerunt; cum fieri haud potuerit, ut *Adolphus*, viam â ſummis tribus Antiquariis *Vico*, *Lazio*, & *Goltzio* fruſtra tentatam ingreſſus, non quandoque halluci-

nare-

*) De *Scheurlino* pauca inferius in medium proferam.

naretur. Nævis hisce mederi quidem inſtituerat *Levinus Hulſius*, ſed morte præventus nil niſi exilem *Seriem Numiſmatum Imperatorum Romanorum a C. Julio Cæſare ad Rudolphum II.* in 8. *Francofurti.* 1603. reliquit. Sic jacuit *Adolphi* Opus, et jam veluti ſeneſcere cæperat; cum *Franciſcum Mediobarbam Biragum*, S. R. J. Comitem &c. illius ê pulvere excitandi cupido inceſſit, qui id anno 1683. in *folio Mediolani* â ſe emendatum auctumque vulgavit; quamvis nec hoc propitiâ ex toto Minervâ factum ſit. Tandem Opus denuo ſub incudem revocavit *Philippus Argelatus*, Bononienſis, adjutusque tum virorum eruditorum ope, et multis aliis munitus ſubſidiis illud ita conſummavit, ut et voto et expectationi litterati orbis ſatisfactum ſit edito Libro: *Imperatorum Romanorum Numiſmata a Pompejo magno ad Heraclium, ab Adolpho* OCCONE *olim congeſta ... jam illuſtrata â Franciſco* MEDIOBARBO *Birago &c. nunc vero ab innumeris mendis expurgata ... Additionibus usque hac deſideratis, criticisque obſervationibus exornata curante Philippo* ARGELATO. *fol. c. fig. Mediolani.* 1730.

Quisquis plura ſcire deſiderat, conſulat *Bruckerum l. c. Baumgartnerum* in *Nachrichten von merckwürdigen Büchern T. XI. p.* 71. *Acta Eruditorum Lipſienſium*, ad annum 1684. 1733.

X. *Inſcriptiones veteres in Hiſpania repertæ, ab Adolpho Occone Medico Auguſtano collectæ, digeſtæ, & nunc primum editæ. Ad generoſum & illuſtrem Comitem Marcum Fuggerum. E Typographeio H. Commelini.* 1592. recuſæ 1596. plane nihil immutatæ a *prima* editione, adeo ut ſolus titulus a typographo novitatis gratiâ reimpreſſus

eſſe

esse videatur. Operis hortatorem et adjutorem *Occo* habuit mox dictum *Marcum Fuggerum*, Duumvirum Augustanum, a quo *Ambrosii Moralis*, Philippi Hispaniarum regis Historiographi, Libros acceperat. Ex his plerasque descripsit *Noster*: alias ex *Apiano* mutuatus est, additis nonnullis quas Amici oculis suis inspexerant, et *Fuggerus* ipse in itinere *Hispanico* observarat. Omnes per semestre propter insignem utilitatem, praesertim ad Nummos *Tiberii* et *Caji*, a quibus Coloniae romanae magna ex parte in *Hispanias* deductae fuerunt, interpretandos, collegit disposuit et vulgavit applaudentibus Joanne *Postio*, Francisco *Modio*, Jacobo *Cellario*, Joanne *Ortelio*, Michaele *Findio*, et Joanne *Fabro*.

XI. SENECA. Huius Scripta castigâsse *Nostrum*, affirmat *Simlerus l. c.* & ex hoc *Melch.* ADAMUS in *Vit. Medic. p.* 177. Consonat *Catalogus MSS. Bibliothecae Peutingerianae*. Nullibi tamen videre harum *Castigationum* quidquam, licuit mihi.

XII. *Observationes variae medicae*, quas â *Nostro* profectas *Jo. Schenckius* suo Operi *Observationum medicarum rararum, novarum &c.* inseruit.

XIII. *Epistola ad Nicolaum Reusnerum*, data *Dillingae, è castro Principis*, 9. Calend. Junij. 1575. In hac scribit *Reusnero*: sibi eius *Descriptiones Imperatorum ac Caesarum Romanorum à Julio Dictatore ad Maximilianum II.* legendas abs Jo. Egolpho *de Knöringen*, Episcopo Augustano *r*) exhibitas fuisse: hac lectione accensus petit se â *Reusnero* in amicitiam recipi, oratque ut is *Opus numismaticum*, cui insudabat ipse, propediem edendum

r) Huius *Episcopi* laudes in *Alphab. IV. Biblioth. August.* celebravi.

dum *Carmine* quodam exornet. V. *Stemmata Nicol. Reusneri*, *p.* 350. qui etiam aliis *Carminibus* Nostrum honoravit *l. c. p.* 174. 305.

Hæc de editis *Nostri* Operibus. Inedita sunt, quæ sequuntur:

XIV. *Consilium de Podagra*, in *folio*. *Formulæ Medicamentorum*, in *Octavo*. Hæc manu scripta possedit *Jo. Wern. Huberus* Basileensis, teste *Catalogo Bibliothecæ* eius, *p.* 37. 38. *n.* 8.

XV. *Carmina*, & *Epigrammata quædam autographa*. in 8. Possedit idem *Huberus*. V. *Catalogum* laudatum, *p.* 89. *n.* 8.

XVI. *Schedæ autographæ*, quas cum aliis aliorum Eruditorum memoratus *Huberus* habuit. V. *Catalogum* eundem, *p.* 93. *n.* 1.

Habes, Lector! brevem de Gestis *Occonum III.* narrationem, quam ex prolixa BRUCKERI *Historia Vitæ eorundem* ita contraxi, ut & calamus nihil rerum præcipuarum â BRUCKERO memoratarum omiserit, & quæ â me ulterius detecta sunt, nec pauca illa nec omnino spernenda, studiosè adjunxerit *s*).

Occonianæ familiæ annectere placet aliam, *de re medica* itidem meritissimam, *Jungianam* videlicet, ex qua nominis sui memoriam posteritati honorabilem sequentes reddiderunt.

s) De *Occone III.* conferri, si lubet, poterit sæpius laudati *Bruckeri Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit*, *pag.* 94.

JUNGIUS (*Ambrosius*) non *Junius*, (ut male habet ADELUNG in *Ergänzungen und Fortsezungen des Iöcherschen Gelehrten - Lexicon*) patriam habuit, civitatem *Ulmam*, natus ibi circa annum

1471 *a*). *Augustam* delatus, *Capituli cathedralis* Medicus fuit, jam inde ab anno 1494. Anno 1499. Elisabetham *Laugingeriam* Ordinis Patritii fæminam *Augustæ* matrimonio sibi copulavit. Subin anno 1510. etiam Reipublicæ *Augustanæ Physicus* est constitutus. Anno 1538. cum in plurium *Gentium Patriciarum*, quæ penitus defecerant, locum novæ legerentur *Augustæ*, *Noster* quoque eo honore dignus habitus fuit. *Fatis* vero concessit anno 1548.

Eum sua ætate insigni rei medicæ peritia magnum sibi nomen fecisse testatur Paulus à *Stetten b*): unde eum *Fabricius c*) inter celebres sæculi XVI. Medicos merito reponit. Extat in *Musæo Mazzuchelliano*, *Tab. LI. n* 2. Numisma *Nostri* cum epigraphe sequenti: AMBROSIUS. JUNG. ARTIUM. ET. MEDICINÆ. DOCTOR. ANNO. ÆTATIS. LVII. Pars aversa exhibet Insignia *Jungiana*, quæ circum legitur: JUSTITIA. NOSTRA. CHRISTVS. MDXXVIII. Qui Nummus etsi satis commonstret, quanta *Nostri* fama fuerit; tamen alia plura suppetunt, quibus id ipsum plane evincitur: nimirum *Scripta* eius, quæ nobis fortuna propitia servavit.

I. *Tractatulus perutilis de Pestilentia, ex diversis Auctoribus aggregatus ab eximio Artium et Medicinarum Doctore, Ambrosio Jung, tunc Physico spectabilium ac generosorum DD. de Capitulo majoris Ecclesiæ Augustensis.* in 4. *Augustæ Vind. Apud Joann. Schoensperger.* 1494. *Feriâ quintâ post Elisabeth.*

a) V. *Musæum Mazzuchellianum*, *T. I.*

b) In Historia vernacula *Augustana*, *T. I. p.* 303.

c) In *Abriß einer allgemein. Historie der Gelehrth. P. III. p.* 552.

sabeth. Dedicavit Auctor memorato *Capitulo cathedrali* Opus, cuius exemplar vidi in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societat. Jesu, Augustæ.* Confer *G. G. Zapfii Buchdruckergeschichte von Augspurg. T. I. p.* 110. 112. *T. II. p.* 150.

II. *Ain nutzliche trostliche und kurtze Vnderrichtung, wie man sich in disen schwären leuffen der pestilenz halten sol, durch Doctor Ambrosium Jungen, statartzt zu Augspurg, dem gemainen mann zu hilff und güttem, der nit andern beystand hat, verordnet.* in 4. 1521. Observavi etiam aliam huius Operis editionem, in 4. *Augspurg.* 1535. *Apud Philipp. Ulhardum.* Rursum aliam *anni* 1563. recenset *Ehingerùs* in *Catalogo Biblioth. August. p.* 393. Nimirum hi tres anni, grassante lue contagiosa, patriæ urbi admodum funesti fuerunt.

III. Vulgavit cum Collegis suis medicas *Conclusiones & Propositiones* (numerô XCVIII.) sequenti pleno titulo: *Conclusiones & Propositiones universam medicinam per genera comprehendentes ad eum modum, quem Augustani Medici juxta placita veterum Medicorum observant, apertis ulnis amplectuntur, & circa ægrotos curationes instituunt.* in 4. *Augustæ Vindel. Anno* 1538. *mense Junio.* Harum *Conclusionum* exemplar vidi in *Bibliotheca Collegii Augustani* quondam *Societatis Jesu*, cum epigraphe: *Ornatissimo ac Consultissimo Viro D. D. Peutingero, Seni venerando & Mecænati nostro observantissimo. Ex Senatu Medicorum Augustensium.* Quid sibi autem hac lucubratione, X. folia habente, voluerint Medici nostri, patet ex praefatione, quæ hæc est:

„ Inclytæ Reipublicæ Auguſtanæ Medici,
„ Doctores officioſiſſimi, Ambroſius Jung, Adol-
„ phus Occo, Joannes Tyeffenpach, Geryon Say-
„ ler, Damianus Beham *d*), Bernardus Schludi
„ & Joannes Vogt, candidis Lectoribus S. P. D.
„ Nemo de nobis propter publicatam preſentem
„ diſputationem hanc induat opinionem: quod
„ nos ex illorum numero haberi cupiamus, qui,
„ quibus carere poterant, ſibi rixandi adſciſcunt
„ labores gratis .... Quippe qui neque Aucto-
„ res ſumus præſentis negotii, noſtro inſtinctu
„ huc evocati. Sed quia recens calumniarum
„ vertitur machina, & non deſunt imperiti Em-
„ pirici, impoſtores, agyrtæ, & circulatores cir-
„ cumforanei, qui veros Medicos, quaſi cum ægro-
„ torum pernicie Medicinam exercerent, incuſant
„ calumniantur. Quumque nonnulli, eadem im-
„ pudentia inſtructi, non ſint veriti, & noſtram
„ circa ægros ſuggillare curam & ſollicitudinem,
„ qui conatus noſtros omnes, Deum teſtamur,
„ atque omnia vitæ ſtudia huc deſtinavimus ſem-
„ per, ut Ægris bene conſuleremus. Viſum idcirco
„ nobis eſt magnum operæ precium, ne Seri-
„ phias ranas ageremus & honorem noſtrum ita
„ negligeremus; ſed publica edita diſputatione &
„ evulgatis doceremus propoſitionibus, &, quid
„ nos de rei medicæ ſentiremus fundamentis, vi-
„ cinis noſtris atque omnibus alibi degentibus bo-
„ nis Medicis aperiremus...." In *Concluſione* au-
tem 72. 74. 75. *Mercurium præcipitatum* quaſi ve-
ne-

d) Hic Medicus, *Auguſtæ* aliquamdiu manens, anno 1534. die 1. Decembr. *Annam Schoenerinam* matrimonio ſibi junxit: anno vero 1542. mox inde diſceſſit, teſte *Cruſio* in *Annal. Suevic. ad prædictos annos.*

nenum præsentissimum damnant: monent & rogant, ut Magistratus publici partes suas interponant, & hoc genus curationis propinati *Mercurii præcipitati* edicto severissimo extirpent: protestantur, nolle se lacessere medicamenta, quæ per vocatam *quintam essentiam* efficaciora redduntur; venena tantum omnium pestilentissima se suggillare & ab illorum usu dehortari mortales.

IV. *Remedia MSSta. pro catarrho et angustiis thoracis*, quæ se Conradus *Peutingerus*, ICtus. ille celeberrimus, in *Bibliothecâ* suâ servavisse testatur; uti connotatum reliquit Andr. Fel. *Oefelius* in *Peutingerianis* suis *MSStis*.

JUNGIUS (*Ambrosius*) filius præcedentis, paternæ eruditionis, ac famæ æmulus, quem anno 1541. *Senis* in Italia Doctorem medicinæ creatum fuisse et Artem medicam *Augustæ* circa annum 1542. factitasse reperio. Hic anno 1543. die 5. Februarii cum Patritiæ dignitatis fæmina Regina *Roesleria* (*Kolerinam* vocat *Crusius* in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 651. & *Schellenberger* in *Hochzeit-Register MSS.*) *Augustæ* nuptias celebravit, patre adhuc vivente stipendium octoginta aureorum â Senatu commeritus. Postea *Landspergam* profectus aliquanto tempore ægrotis opem præstitit extra patriam, in quam tamen reversus privatum medicum egit usque in annum 1559. quem feralem expertus est *a*).

a) *Ambrosio* huic *juniori* honoris caussâ jungendus est frater eius *Timotheus* Jurisconsultus, quem anno 1555. die 16. Septembris nuptias cum *Helena Breunina*, *Augustæ* celebrasse reperio. Erat *Maximiliano II.* cuius elec-

electioni & inaugurationi anno 1562. *Francofurti* adfuit (V. *Schardii Script. Rer. German. T. III. p.* 100. à Consiliis, & ab eodem una cum *Jo. Achille Ilsungo* itidem *Augustano* gravissimis negotiis tractandis adhibitus est.

JUNGIUS (*Ulricus*) frater *Ambrosii Jungii patris*, eidem doctrinâ et famâ, nec non dignitate *Patritia*, quam unâ cum *Ambrosio* anno 1538. acceperat, aequalis *a*). Is in adolescentia *hebraicae* linguae addiscendae caussâ *Joannem Boeschenstainium b*) sedulo audivit. De παῤῥησίᾳ *Nostri* reliquit *Crusius* sequentia *c*): *Erat Augustae Medicus, nomine Ulricus Jung, promiscue omnes tuissare assuetus. Hic veniens ad Caesarem Carolum V. dixit: Caesar! Praecessor tuus Maximilianus haeret apud me in Catalogo debitorum pro summa* 6000. *florenorum. Hanc exsolvere convenit dignitati tuae: Sed remitto tibi illam ea conditione, ut mihi et uxori meae Vitalitium sexcentorum florenorum in singulos annos paciscaris. Respondit Imperator: Paciscor; Habeas. Et sic factum est.*

A doctrinâ commendavit *Nostrum* Joann. *Eccius* in *Orat. de Nobilitate litteris exornanda.* Conradus *Peutingerus* supra laudatus ab eo nonnullas *medicamentorum Formulas ad stomachum facientes* in sua *Bibliotheca* habuit teste mox citato *Oefelio*. Epitaphium *d*) eius plures ob caussas apponere hoc loco placet:

DEO.

a) V. Paul. *à Stetten, l. c.*

b) V. Eius *Praefat.* ad *Elementare introductor. in hebraeas litteras.* 4. *Augustae.* 1514.

c) In *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 631.

d) Exhibet Dan. *Praschius, T. I. p.* 16.

DEO. OPT. MAX. S.
HULDERICO. JUNGIO. PATR. EQ. AUR. MEDICIN.
PROFESSORI. CÆS. AC. REGIO. SENATORI. QUI.
VIXIT. ANN. LXI. MENS. III. DIES. XXI. OBIIT.
ANNO. SALUT. MDXXXIX. XV. KAL. AUGUSTI.
JOAN. JURECONSUL. ET. CANON. FRISING. ET.
AMBROS. PATR. AUG. MEDICINÆQ. PROFESSOR.
JUNGII.
FRATES. FRATRI. PIENTISS. F. CUR.

JUNGIUS (*Joannes*) de quo nil aliud reperire potui, quam quod *Bruckerus* in *Prolusione* præfixa *Vitis Occonum*, *p.* 16. monet: eum *Wimpfensem* fuisse, *qui postquam Tiguro Ulmam primum, deinde Ulma Augustam pervenisset, anno* 1493. *appellatus fuit Magister à Tiguro, obiitque anno* 1505. 16. *Februar. ætatis octogesimo, teste Protocollo Colleg. Med. August.* Hunc *Joannem Bruckerus* facit fratrem alterum *Ambrosii Jung senioris.* Sed chronotaxis parum respondet. *Ambrosius* primùm circa annum 1471. primam lucem vidit. *Joannes*, de quo sermo, jam anno 1425. & (quod sequitur) 46. annos priùs in vivis esse cæpit. Hinc eum inter Majores *Ambrosii Jungii senioris*, minime inter fratres accenseri mallem.

JUNGIUS (*Antonius*). De hoc quod moneam, non habeo, præterquam Conradum *Peutingerum* in *Bibliotheca* sua Libellum *Nostri* MSStum. *de Peste* possedisse, uti testatur laudatus *Oefelius l. c.*

JUNGIUS (*Augustus*) â quo extant in *G. H. Welschii Consil. medic. Centuriis IV. Ulmæ.* 1676.
I. *Consilia medica.*

II. *Consilia, Curationes & Observationes medicæ*, quas habes in memorati *Welschii Chiliadibus II. Curat. & Observat. medic. Ibidem.* 1676.

GRUNBECKIUS vel GRUNENBECKIUS Medicus *Augustæ* sæculo XV. vertente, patriâ *Burghusanus* Bavarus, quem MANGETUS *a*) ex JUSTO in *Chronol. medic.* appellat *Medicum & Secretarium Regis* (cuius, non additur) *magni pretii.* Celebre is nomen sibi fecit, quod primus ex *Augustanis* Medicis de morbo *gallico*, qui circa annum 1490. *Augustam* urbem inficere cæperat, scripserit *b*). Operi hunc titulum fecit:

I. *Tractatus de pestilentiali Scorra, sive mal Franzos, originem remediaque eiusdem continens, compilatus à venerabili Viro Magistro Joseph Grunpeck de Burgckhausen, super Carmina quædam Sebastiani Branndt* (non *Brantumi*) *utriusque juris Professoris.* Confer *Ehingeri Catalog. Biblioth. August. p.* 371. Placidi *Braun* Cænobitæ San-Udalricani *Notit. hist. litterar. T. II. p.* 8. Habetur etiam editio alia hoc titulo: *De Mentulagra, seu Morbo Regio Liber.* in 4. *Venetiis, apud Scotum.* 1503. Consecravit laborem suum Auctor *Bernh. de Waldkirch*, liberalium studiorum *Magistro, litterariæ Sodalitatis Danubianæ lumini & ornamento*, ac Canonico cathedralis Ecclesiæ *Augustensis* litterarum fautori *c*) *Nobilitatis unico specimini* om-

a) In *Bibliotheca Scriptor. Medic.*

b) V. GASSARI *Annal. August.* inter MENCKENII *Script. Rer. German. T. I.* ad annum 1495.

c) V. *Alphabetum I.* præsentis *Bibliothecæ, p.* 12-13. Confer *Khammium* in *Hierarch. August. P. I. Cathedr. p.* 609.

omnis litteraturæ amatori, his inter alia verbis:

„ Incidi pridem, humanissime Vir! in exac-
„ tissimum accuratissimumque *Eulogium* quoddam
„ *Sebastiani Brandt* . . . cujus ornatus scribendi
„ character, luculentissimaque verba . . . me mi-
„ rifice oblectarunt. Habent siquidem non mi-
„ nus utilitatis quam salis, cunctis mortalibus
„ subventura. Inter cætera horum fluctuum &
„ procellarum nostri ævi incommoda, hanc con-
„ tinent omni morbo acerbiorem omnique epide-
„ mia magis pestiferam labem, tam repente in
„ homines demissam, ut plaga cælitus decussa esse
„ videatur, quam gentes *Francigenarum malum*
„ appellant. . . . Cum vero ea Carmina (*Eulogium*)
„ ab eodem U. J. Professore conscripta causam
„ remediaque hujuscemodi acerbissimi morbi com-
„ plectentia in manus meas irrepsissent, illico do-
„ lor ac commiseratio quædam cor meum per-
„ cussit. . . . Originem hujus sordis ex astrorum
„ configurationibus scaturientis, remediaque ex
„ approbatissimorum Medicorum voluminibus ma-
„ nata in Tractatulum . . . conjicere curavi, qui
„ (ut spero) erit tibi laudi; namque, licet ado-
„ lescentiam pridie egressus sis, sumpta tamen vi-
„ rili toga mox cunctis contemporaneis tuis an-
„ tecellere contigisti. . . . Augustæ. Ex Ædibus
„ Magistri Sixti Staimack fautoris mei præcipui.
„ 15. Kalend. Novembr. anno 1496." Nuncupatoriam hanc sequitur *Eulogium*, seu Carmina *Sebastiani Brannt* . . *de Scorra pestilentiali sive Mala de Franzos. Anni* 96. *ad Joannem Capinon* d) *Legum imperialium Interpretem*: quibus succedit Trac-

 tatus

d) Lege *Capnionem*, i. e. *Reuchlinum*.

tatus *Nostri*, divisus in X. Capita. In quorum postremo originem mali *huius invisi ac penitus incogniti* expavescendo Saturni & Jovis coitui &c. qui anno 1484. contigerat, adscribit. Praeterea monet, *hunc esse primum adolescentiae suae, quam ignaviâ, luxu quoque inerti sine bonis litteris traducere puduerat, foetum.*

II. *Comoediae utilissimae omnem latini sermonis elegantiam continentes, è quibus quisque optimus Latinus evadere potest.* Opusculum est rarissimum, nulli bibliographorum memoratum, â me in quodam Volumine Adversariorum MSStorum. *Conradi Peutingeri* observatum, nuper demum à P. Placido *Braun*, Amico meo inter primos venerando *l. c. p.* 290. accuratius descriptum. Sunt Comoediae duae, quas *Noster* rursus *Bernh. de Waldkirch* dicavit. Primae haec subscripta leguntur. *Acta a Christi Salvatoris nostri incarnatione, anno* 1497. *X. Kalend. Augusti. Dixere ingenui pueri Patricii ordinis Augustensis, summa modestia atque urbanitate praediti. Egit Auctor ipsemet in nuptiarum aliquorum civium eiusdem urbis celebritate. Edita Joanne Langenmantel, Ludovico Hofer Consulibus.* Secundae Comoediae, compilatae *ad laudem gloriosissimi Principis Maximiliani Romanorum Regis*, Subscriptio sequens est: *Acta a Christi Salvatoris nostri nataliciis diebus, anno* 1497. *6. Kalend. Decembris. Dixere ingenui pueri &c. &c.* ùt supra. *Egit Auctor ipsemet in divi Regis Romanorum favorem. Edita Joanne Langenmantel, Ludovico Hofer Consulibus.*

Di-

Distinguendus autem *Noster* est ab alio *Josepho* GRUNBECKIO Presbytero *e*) cuius extat *Speculum naturalis*, *cœlestis & propheticæ Visionis &c.* *Norimbergæ*. 1508. in folio *f*): & cuius haud dubie etiam est Libellus â me visus: *Prognostication vom 32ten Iahr an g*) *bis auf das 40te Iahr.*

e) Hunc recens iterùm cum *Nostro* male miscuit *Adelungius* in *Ergänzung - und Fortsezungen des Iöcherschen Gelehrten Lexicon.*

f) Latinè titulum effert BRUCKERUS in *Prolusione de Medicis Augustanis*, præfixa *Vitæ Occonum*, *p.* 14. JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon* germanicè: sive quod utrâque linguâ Liber exiit, sive quod BRUCKERUS, latine scribens, latinum fecerit.

g) Nimirum ab anno 1532. ad 1540.

FREHERUS (*Marquardus*) de quo habes in *Bibliothecæ* meæ *Augustanæ Alphabeto III.* *p.* 6. ubi videsis.

CÆSAR (*Joannes*) de quo pauca attuli in dictæ *Bibliothecæ Alphabeto II.* *p.* 29. 30.

GRIMM (*Sigismundus*) cuius elogium inserui in citatæ *Bibliothecæ Alphabeto V.* *p.* 96. quod consulere non pigeat.

MOIBANUS (*Joannes*) cuius *Vitam* fuse exposui in *Alphabeto VI.* præsentis *Bibliothecæ* *p.* 147. quod inspicere lubeat.

SAILERUS (*Gereon*) quem in eiusdem *Bibliothecæ Alphabeto I.* laudavi.

GASSARUS (*Achilles Pirminius*) de quo *Henr.* *Pantaleo* in *Prosopograph.* *T. III.* *p.* 302. *Mart.* *Crusius* in *Annalibus Suevic.* *Dod. III.* *Conrad.*

Ges-

Gesnerus in *Bibliotheca Scriptor. Paschalis Gallus* in *Catalog*. meminerunt: et hi quidem *Nostro* tempore æquales fuerunt. Post fata eum *Melch. Adamus* in *Vitis Viror. illustr. Paul. Freherus* in *Theatro*, & *Abrah. Mercklinus* in *Lindenio renov.* laudaverunt. Istos insequutus est *Jo. Burck. Menckenius*, qui in *Scriptoribus Rer. germanic.* GASSARI *Annales augspurgenses* exhibuit, addita *Præfatione* de Auctore, quam *Wolfg. Jac. Sulzerus*, *Marc. Christoph. Koch.* à *Gailenbach*, *Sigism. Jac. Ammanus* Patritii Augustani, varias notitias communicando, locupletarunt. His omnibus accessit *Jac. Bruckerus*, qui *Vitam* Nostri, tum suis Observationibus, tum novis Supplementis, ex prædictorum Procerum Augustanorum benevolentia acceptis, auctam in *Miscellaneis Histor. philosoph. litter. critic.* litterato orbi dedit: et quem maxime sequendum, mihi proposui *).

Ach. Pirm. Gassarus, vel potius *Gasserus* anno 1505. die 3. Novembris ante solis ortum *Lindavii* ad lacum Bodamicum patre *Ulrico*, matre *Ursula Randeckia*, Casparis Nobilis *à Randeck* filia, natus est. Hanc quidem originem *Nostro* fuisse *Crusius l. c.* monuit: & ipsemet in *Notitia de Vita sua*, Codici MSS. *Ammaniano* suorum *Annalium* præfixa, testatur; ubi de patre suo sequentia addit: *Vir fuit hic Chirurgus industrius, miles strenuus, ac cordatus homo; nam & Tribûs suæ Lindojæ Tribunus non semel, ac totius patriæ Capitaneus, dum Cæsar Maximilianus anno* 1508. *Romam pro corona petere instituisset: tandem etiam* eius-

*) Confer, si placet, eundem *Bruckerum* in *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit*, p. 145. item in *Schelhornii Amænit. litterar.* T. X.

eiusdem Imperatoris Chirurgus proprius domesticusque fuit. Plura de patre *Nostri* rescire volens, *Annales Nostri* ad annum 1508. consulat. Obiit autem hic *Ulricus Lovanii* anno 1517. XVII. Calend. Novembris, sepultusque est in Æde summa ad Altare *S. Sebastiani.* Mater *Lindojæ* ex pleurisi anno 1535. occubuit.

Litterarum fundamenta *Noster* apud *Leonardum Baierum*, *Esslingensem*, patrinum suum jecit; quo tempore sacræ Confirmationis Sacramento pro more Ecclesiæ catholicæ initiatus nomen *Pirminii* à *Joanne Fabro a)* tum parochiæ Lindaviensis Vicario, tandem Episcopo Viennensi, accepit. Inde *Selestadium* anno 1520. ad *Joannem Sapidum b)* missus est, cui præceptori suo, fatis perfuncto, Epigramma scripsit, quod apud *Bruckerum l. c.* legere est.

Anno 1522. revocatus in patriam, cum *Argonæ* sub *Urbano Rhegio* trium mensium spatium in *Physices* studiis exegisset, eodem adhuc anno ad *Philippum Melanchtonem Wittebergam* profectus est, ubi usque ad annum 1525. litteris humanioribus operam impendit. Per id temporis *Noster* tanto erga *Lutherum* studio est accensus, ut & dogmata illius disseminare latius pro virili conatus sit, & postea filiolo suo etiam *Lutheri* nomen imponere non dubitârit. Ex Academia *Wittebergensi Viennam Pannoniæ* tetendit, ubi & *mathematica* præcepta imbibit, et *medicinæ* studium sub *Simone Lazio* absolvit.

His

a) De insigni hoc Viro vide *Quetif & Echard Bibliothecam Ord. PP. T. II.*

b) De *Sapido* consules, si lubet, *Adamum in Vitis Philosoph.*

His gestis anno 1527. in *Gallias* profectus *Montepessulano* ad studia incubuit: Inde *Avenionem* concessit, ubi, ut sumptibus parceret, etiam Doctoris Laurea condecorari se, anno 1528. curavit. Docet istud ipse *Gassarus* in laudata *Notitia* adversus *Adamum*, qui hoc *Montepessulano* contigisse scribit. *Protocollum Collegii medici Augustani T. I.* Doctoratum *Auriaci* obtinuisse *Nostrum* affirmat; imo ipse *Gassarus* schedulæ cuidam anno 1562. hæc subscripsit: *Ex Augusta Sueviæ*, 24. *die mensis Februarii, anno Doctoratus mei* 34. *quem in Auriaca Universitate ultima die Septembris promotore D. Nicolao de Villanova M. D. accepi.* Ista *Bruckerus l. c.* ita inter se concilianda arbitratur: ut *Avenione* in Principatu Auriaco Doctoratus insignia capessivisse *Nostrum* dicamus. At *Crusius Annal. Suev. Dod. III. p.* 763. nullam in his antilogiam deprehendit, inquiens: *Medicinæ Doctor creatus est in civitate Galliæ provincialis Auraica*; & paucis interjectis: *Montempessulanum petiit, inde Avenionem, sive Auraicam, ubi Insignia Docturæ consecutus est, ut antea diximus c)*.

Redux in patriam a vicinæ civitatis *Feldkirchæ* Senatu evocatus est, ut medicam inibi artem factitaret, cui muneri bene eum præfuisse *litteræ* Senatus *autographæ* ad *Nostrum*, adhucdum extantes, docent. Præfuit autem eidem per integrum *novennium*, teste *G. H. Welschio* infra citando.

Tandem circa annum 1546. *Augustam Vindelicorum* venit, & inter Medicos receptus in curan-

ran-

c) Fors per errorem typi, pro *Auriaca*, in *Crusio* legitur *Auraica*.

randis ægrotis ſeſe occupavit, biennio poſt (1548.) honoratiorum quoque civium, vulgo *Herrenſtube*, albo inſcriptus. Accidit poſthæc, ut anno 1563. contagioſa lues magnam in civibus *Auguſtanis* cladem ederet, *Noſtro*que occaſionem ſatisin jucundam præberet oſtendendi, quantum in ſcientia medica profeciſſet. Juvat *Gaſſarum* ipſum *d*) hac de re audire:

„ Quinto eiusdem menſis die, cum peſtis, „ quæ ſuperiori menſe Majo hic ingruerat, us„ que adeo invaluiſſet, ut ea unica hac hebdo„ made ultra 700. mortales rapuerit, plurimique „ cives ob malum tam atrox alio fugitaſſent, fac„ ta eſt ſenatorii ordinis ac forenſis judicii aſſeſ„ ſorum ſequeſtratio talismodi, ut ſemper dimi„ dia eorundem pars uno, & altera medietas alio „ menſe domi præſto eſſet, atque in publicis con„ ſultationibus duumviris, conſulibus ordinariis „ ac ipſi prætori de more alternatim aſſiderent. „ Quod quo confidentius majorique ſecuritate fie„ ret, conduxit poſtridie Duumvir *Rehlingerus* ſe„ natûs nomine in ſolius ſenatûs ejusque ſcriba„ rum & privatorum miniſtrorum, eorundemque „ uxorum & liberorum tum præſervationem tum „ curationem proprium medicum, *Achillem Pirmi„ nium Gaſſarum Lindavienſem*, ultro illi in ſin„ gulos menſes 100. aureolorum oblato ſtipen„ dio“.

Nequaquam dubium eſt, *Noſtrum* huic civium neceſſitati egregie ſubveniſſe, multosque mortis faucibus eripuiſſe. Certe medicina, quam *Noſter* eo fini compoſuerat & graſſanti morbo eventu optimo oppoſuerat, nomine *Pulveris rubri Cæ-*

ſaris

d) In *Annal. Augſburgenſ.*

saris diu postea tum ab *Augustanis*, tum ab iis, qui *Pharmocopœiam Augustanam* sequebantur, cum fructu adhibita fuit. Simili medendi felicitate *Nostrum* etiam annis 1564. 1571. & 1572. quibûs morbus epidemicus patriam infestavit, usum fuisse, non habeo, cnr dubitem.

Hinc *Gassari* fama atque res tantum crevit, ut non solum a viris fæminisque principibus sanitatis vel conservandæ vel restituendæ gratiâ consuleretur; sed etiam amplis ædibus sibi comparandis par esset, in quas *epigrammate* lusit, quod apud *Bruckerum l. c.* si lubet, vide. Neque vero solîus sanitatis sed aliorum etiam negotiorum eorumque gravium caussâ â Viris summis per *Epistolas* salutari meruit. Harum unam *Theophilus Spizelius* annô 1665. *Augustæ* in 4. vulgavit. Plures daturum se *Georg. Hieron. Welschius* promisit: cuius promissum etsi eventu caruerit; tamen verba eius hôc locô longius referre juvat, quòd multa contineant, quibus res *Nostri* plurimum illustrantur:

„ *Feldkirchâ* demum Augustam transvectus ma-
„ gis magisque inclarescere cœpit, donec exactis
„ varia fortuna, plerumque tamen secunda, duo-
„ bus fere & triginta annis, ibidem diem suum
„ obiisset. Multa tum temporis, cum viveret,
„ dissidia tam sacra, quam profana, Imperii Ro-
„ mani Proceres distraxerant, quibus subinde com-
„ ponendis, augustæ memoriæ Imperator Caro-
„ lus, nomine quidem quintus, sed rerum gesta-
„ rum celebritate omnium consensu primus, fre-
„ quenter illos Augustam convocabat. His hac
„ occasione, plerisque omnibus, Gasserus noster
„ medendi peritia, & historiarum, rerumque ma-

thema-

„ thematicarum singulari quadam scientia, facil-
„ lime innotuit, ut et præsentes obsequiis se de-
„ mereri paterentur, et litteris deinceps absen-
„ tem sæpius clementer compellarent, aut respon-
„ sa de sua suorumque valetudine, aut remedia
„ postulantes, quae olim sibi profuisse recordati,
„ non aliunde, quam ê Medici manibus accipere
„ gestiebant, Has nos Epistolas, haud paucas
„ numero, perpetuæ memoriæ in scriniis serva-
„ mus, quas suis manibus aut scriptas, aut sig-
„ natas, ad illum dederant Jo. Fridericus uter-
„ que, & Jo. Guilielmus Saxoniæ Duces, Fride-
„ ricus Elector Palatinus, Otto Henricus Pal.
„ Rheni & Dux utriusque Bavariæ, Jo. Albertus
„ Megalopolitanus uterque, Albertus Fridericus
„ Brandenburgensis, Stephanus Bathorius Trans-
„ silvanus, Jo. Archiepiscopus & Elector Trevi-
„ rensis, Martinus Episcopus Vratislaviensis, Lu-
„ cius Iterus Præpositus Curiensis & Nuncius
„ Apostolicus, Georgius Abbas Campidunensis,
„ Comites Helvicus Sulzensis, Joachimus Ortem-
„ burgicus, Jacobus Bipontinus, Ludovicus Oe-
„ tingensis, Albertus Mansfeldius, Jo. Nicolaus
„ ab Hohenzollern, & Barones, Nobilesque pro-
„ pe infiniti. At vero cum plerique Principum
„ doctissimos clarissimosque Europæ Medicos se-
„ cum in familia adducerent, eadem opera Gas-
„ serus noster singulorum amicitiam studiose co-
„ luit, inter quos jure eminebant, Cornelius
„ Bærsdorpius, Julius Alexandrinus, Andreas
„ Vesalius, Jo. Crato, Medici Cæsarei, & Petrus
„ Merenda, qui Regi Ferdinando à valetudine
„ erat; ut reliquos nunc prætereamus, quorum

„ partem ipse, partem Rumlerus *e*) in suis men-
„ tionem facit. Duos tamen præterea comme-
„ morabimus; quod magni nominis, illisque tem-
„ poribus tanquam litteraria quædam oracula es-
„ sent, quibuscum ipsi propior amicitia interces-
„ sit, Hieronymum Cardanum, cujus litteræ ali-
„ quot apud nos supersunt, quibus de astronomi-
„ cis & meteorologicis quibusdam, ac mag-
„ netis natura usuque cum Gassero amice dis-
„ quirebat, Volumen etiam praxeos suæ sive cu-
„ rationis exquisitissimæ omnium morborum pro-
„ mittens: & Conradum Gesnerum, quem fra-
„ terno prope amore complectebatur, ut satis in-
„ dicant Epistolæ, quarum nonnullas Caspar Wol-
„ fius edidit, plures nos habemus, unà cum re-
„ liqua Rumleri suppellectile libraria nostro ære
„ comparatas. Nam quamvis Adamus *f*) Gasse-
„ ri Bibliothecam, â generoso Comite Udalrico
„ Fuggero emptam, atque una cum sua Palati-
„ næ testamento insertam, narret; de iis tamen
„ solum libris id intelligendum est, qui typis,
„ non qui calamo & sua manu scripti, in illa
„ conspiciebantur: quos sane omnes Gasserus ip-
„ se paulo ante obitum â reliquis separatos filiæ
„ tradiderat, & nepoti ex eadem suo Rumlero
„ jam sæpius laudato disertissimis verbis servari
„ imperavit. Quod ita quoque factum: & caussa
„ extitit, ut tandem ad nos potuerint pervenire."
Hactenus *Welschius* in *Sylloge Curat. & Observ. medic. Centurias VI. complectente*, in *Præfat.* ad *Gassari Observat. medic.*

Post-

e) Est *Rumlerus* iste, cuius laudes in *Alphabeto VI.* meæ *Biblioth. August.* exposui.

f) In *Vita Nostri*, sub finem.

Postquam *Welschius* insigne hoc testimonium *Nostro* tribuere non dubitavit; postquam & *Jo. Langius* in *L. II. Epist. med.* 39. eum *vere alterum in re medica Achillem* appellare voluit; superfluum fore existimo, aliorum Eruditorum de *Nostro* judicia longo sermone congerere: quæ, horum avidus Lector, apud *Bruckerum* in *Miscell. Histor. philos. litter. crit.* & in *Wendleri Dissert. II. de Merit. Reipubl. August. &c. p.* 61. facile reperiet.

Amicis autem *Nostri*, mox nomine vocatis, addere convenit *Xystum Betuleium; Hieron. Wolfium; David. Hoeschelium; Matth. Flaccium Illyricum*, cuius defensor præcipuus fuit; *Matthæum Judicem; Wigandum; Cyriac. Spangenbergium*, quem extorrem suis ædibus excepit; *Sebastian. Munsterum*; aliosque: quibus propter inferius dicenda junges *Petrum Rhotum* Argentoratensem Medicum & Philosophum: item *Nicolaum Gerbelium.*

Quamvis autem *Gassarus* maximorum Virorum favore dignatus: maximorum Eruditorum amicitia fruitus: ab ingenio multigena eruditione subacto probe instructus fuerit; ob id tamen nævis, iisque gravibus, caruisse censendus est minimè. Taceo, eum *Reformationem* plus quam statûs eius ratio exigebat, et doctrinæ conditio permittebat, promovisse: Taceo, eum *Centuriatores Magdeburgenses* re atque consilio adjutâsse; unde illi occasionem, sui *Operis Tomum VIII. Nostro* inscribendi, quasi gratas vices repensuri, captàrunt. At illud tacere non debeo, eum, nimio erga *Flaccium* studio abreptum, libros *Flaccianos*, & Asseclarum eius, discordiæ inter ipsos Protestantes semen ferentes tantâ cu-

râ disseminâsse, ut *Lindaviæ* res prope seditionem venerit: ob quod ipsum etiam â Senatu eius civitatis *binis Litteris* acriter increpitus fuit g). At illud tacere non debeo, *Nostrum* vatiniano odio Rem catholicam omnem odivisse *h*); de quo infra, ubi *Annales* Nostri *Augsburgenses* recensebo, mentio recurret.

Conjugium iniit ter: *primùm* cum *Catharina Werderia Feldkirchæ* oriunda, ex qua *Lutherum* præmaturis fatis sublatum & *Annam*, uxorem postea *Macarii Rumleri* genuit: *deinde Augustæ*, anno 1546. die 12. Maji. cum *Anna Maria Oehmia*, *Hieronymi Tuecheri* vidua: *tertiò* anno 1552. die 30. Martii cum *Scholastica Byhlerina*; cui discolæ, turpiter desertus, non multo post repudii libellum misit, reliquum vitæ in consortio filiæ *Annæ* & generi *Rumleri* transigens; donec febri ardente correptus & melancholia insuper, fors ex lite cum Senatu *Lindaviensi* orta, vexatus anno 1577. pridie Nonas Decembris vivendi finem fecit: natus annos 72. menses 2. Sepultus est in coemeterio suburbano, ubi eius *Monumentum* sequens extitisse monuit *Praschius* in *Epitaph. August. P. I. p.* 213.

MONUMENTUM.
ACHILLIS. PYRMENII. GASSARI.
LINDAVIENSIS.
MEDICINARUM. DOCTORIS.
QUI. CUM. LXXII. AN. COMPLETE. VIXISSET.
IN. CHRISTO. OBDORMIENS. AUGSTBURGI.
HOC.

g) Hæc latius exponit *Bruckerus l. c.*

h) Odium istud cum in *Scriptis* suis apertissime ostenderit, ea in *Indicem Librorum prohibitorum* relata fuere: quem vide, si lubet.

HOC. LOCI. SEPULTUS. EST.
AN. SAL. MDLXXVII. D. IV. M. XBR.
SUISQUE. COMMUNE. ESSE. VULT.

Modò ad enarranda *Nostri* Opera calamum promovere juvat. Sunt illa *medici*, *mathematici*, *philosophici*, *philologici*, ac *historici* argumenti.

I. *Einfältiger und gegründter Bericht, wie meniglich sich in Pestilenzischem übergang mit Arzneyen und anderer Leibsnoth halten, bewahren, und genöhren soll, durch Achillem P. Gassarum L. natürlicher Künsten und baider Arzneyen Doctorn zu Feldkirch gemacht. Nürnberg, truckts Joh. Petreius.* 1544. in 4. V. *Ehingeri Catalog. Biblioth. August. p.* 392. *Bruckerus l. c.* ponit annum impressionis 1554. per errorem typi. Dicavit *Ulrico à Schellenberg &c.* Equiti, Consiliario cæsareo, Prætori Veldkirchensi, Patrono suo.

II. *Aphorismorum Hippocratis Methodus nova, primùm V. Libris distincta, C. Gesneri Tigurini vero operâ illustrata. Huc accedunt Libelli de Re medica aliquot, prius non editi. Omnia nunc primum operâ & studiô Casp. Wolfii Tigurini in lucem data.* in 8. *San - Galli.* 1584. V. *Bruckerum l. c.* qui ad *Adami Vitas Medic.* & *J. G. Schenckii Bibliothecam med. p.* 6. provocat.

III. *Epistola ad Conr. Gesnerum*, quâ eundem orat, ut *Dioscoridis* Εὐπόριστα à *Jo. Moibano* Medico *Augustano* cœpta, post eius præmaturam mortem, perficiat ac vulget. Vide *Alphabetum VI.* meæ *Bibliothecæ Augustanæ*, *p.* 157.

IV. *Epistola* ad *Martini Rulandi Centuriam Curationum*, extat in ipsa *Centuria*.

V. *Confutatio Propositionum Sarmaticarum.* Vide inferiùs in *Luca Stenglio*, *N. V.*

VI. *Centuria Curationum & Observationum medicarum.* Hanc edidit *G. H. Welschius* in *Sylloge Curat. & Observat. medicinal.* 1668.

VII. *Collectanea practica & Experimenta propria,* quae in *G. H. Welschii Centuriis IV. Consil. medicinal.* in 4. *Ulmae.* 1676. habentur.

VIII. *Collectanea practica* alia, & *Experimenta propria.* Inveniuntur in saepius dicti *G. H. Welschii Chiliadibus II. Curat. & Observat. medicin. Ulmae.* 1676. in 4. editis.

IX. *Epistola medica ad Conr. Gesnerum Tigurinum*, quae inter *Epistolas medicas Gesneri* extat, *p.* 43.

X. *Historia de gestatione foetûs mortui.* Habetur cum *R. Dodonaei Observationibus medicis.*

XI. *Varia* Nostri *Observata* inseruit *Jo. Schenckius* suo Operi: *Observationum medic. rarar. novar. admirand. & monstrosarum.*

XII. *Prognosticon astrologicum in annum* 1544. in 4. Hoc amico suo *Casp. Heldelino i)* mittens adjecit Distichon sequens:

„ Tu mihi praeteritis de rebus Carmina mittis;
„ Ast ego futura haec nunc tibi mitto nova."

XIII. *Sciaterion pedarium.* Tribuit *Nostro* hanc lucubrationem *Adamus l. c.* & *Simlerus* in *Biblioth.* addens *Tiguri* impressam fuisse.

XIV. *Ein Kurz Unterricht von den Cometen und haarigen Sternen, so den Sommer des* 1533. *Iahrs etliche Zeit zu Morgens, darnach auch lang zu Abends gesehen ist. Achilles P. Gassarus L. Medicinae Doctor.* in 4. Vidi meis oculis.

XV.

i) *Heldelinum* nonnulla *de Ciconiis* scripsisse, refert *Lipenius* in *Biblioth. med. p.* 104.

XV. *Elementare cosmographicum.* in 8. 1539. *Argentorati.* Apud *Cratonem Mylium k*). Hoc Opus, etsi vindicare sibi, partem potissimam, *Martinus Cellarius*, Stutgardianus, possit; multum tamen decoris à *Nostro* accepit, prout sequens *Epistola nuncupatoria* docet:

Doctissimo Viro D. Doctori Petro Rhoto apud Argentinam Philosopho & Medico, suo Amico, Achilles Pirminius Gassarus S. P. D.

„ Quam jucundæ, quam utiles, quam deni-„ que necessariæ Mathematicarum Disciplinarum „ sint tum traditiones tum perceptiones non so-„ lum ad eruditionem comparandam, sed & to-„ tam vitam instituendam; nemo est vel parum „ humanus, qui negare ... possit. ... Proinde, „ Clarissime Vir! cum talis apud me jam diu de-„ lituerit verius, quam conservatus sit libellus, „ qui ad indipiscenda prædictarum scientiarum „ fundamenta non tam juvenibus emolumento, „ quam senibus etiam oblectamento .... futurus „ censeatur; nolui prætermittere, quin tandem „ evulgaretur ..., quem (ut ab ovo exordiar) an-„ te octodecim, nî fallor, annos *Martinus Cella-„ rius* Stutgardiensis *Wittenbergæ Saxonum* in gra-„ tiam studiosorum aliquot privatim quidem dicta-„ vit; sed nunquam postea vel evulgare, vel am-„ plius locupletare curam adhibuit; quæ res diu „ me sollicitum reddidit, donec superioribus die-„ bus *Cratoni Mylio* communi amico nostro com-„ misissem, ut ab eo id rogaret, aut etiam, si „ posset, extorqueret. Verum cum operam suam „ (nescio) qua ratione durius detrectasset: co-„ piam tamen paulo civilior, quidquid liberet,

k) Hæc Lucubratio *Bruckerum* aliosque præteriit.

„ cum libello ſuo agendi nobis conceſſiſſet; ibi „ protinus ego nullam Viri auctoris invidiam ve- „ ritus ... juvandi ſtudioſos cauſſâ, et diligenter „ cuncta hæc transſcribere, et pro noſtro captu „ emendare non ſum gravatus ... Bene vale. Feld- „ kirchii 1539. menſe Majo.

XVI. *Petri Peregrini l) Maricurtenſis de Magnete ſeu Rota perpetui motûs Libellus per Achillem Pirminium Gaſſerum L. nunc primum promulgatus* in 4. *Augsburgi in Suevis.* 1558. Opus *m) Noſter* Imperatori *Ferdinando*, Archiatrorum eius *Julii Alexandrini* & *Stephani Lauræi* ſuaſu, conſecravit, in *Præfatione* autem ſequentia monuit:

„ Poſtquam annos jam plus minus triginta „ exilem hunc ſed mea ſententia maximi facien- „ dum *Petri Peregrini* de *Herculei Lapidis Aſtronomia* ſeu *Rota perennis motûs* libellum ſuaviſſi- „ ma uſucapione quaſi ſolus poſſederim, ipſum- „ que incomparabiliter tum utiliſſimum tum ju- „ cundiſſimum quoque judicaverim ... editionem „ autem ipſius nihilominus apud cunctos pertina- „ citer & ubique (Exemplaris enim copiam hinc „ inde extare notorium eſt) negligi hactenus ani- „ madverterim quoque, non ... volui ... pro be- „ nevola ea, quam ad juvanda communia ſtudia „ gero, propenſione diutius committere, quin ... „ aureum hunc libellum .... tandem in vulgus „ emitterem.... Fuiſſe vero *Peregrinum* hunc „ ſubtiliſſimum & integerrimum Philoſophum, vel

„ hinc

l) Poterunt iſta nomen *Peregrini*, Viri perdocti, nec ſatis (quo fato, neſcio?) in orbe litterato cogniti ab oblivione eripere.

m) Hic quoque *Noſtri* labor litterarius *Bruckero* & aliis excidit.

„ hinc maxime clarissimum redditur, quod solus,
„ quantum quidem ego sciam, cælestem illam
„ Herculei Lapidis naturam et antecessoribus im-
„ perscrutabiles effectus litteris mandare non cunc-
„ tatus pro posteris sit: nec dissimili candore alios
„ quoque tractatus procul dubio scitissimos, qui-
„ bus dolenter hodie caremus, ut puta *de Fa-*
„ *brica philosophicorum instrumentorum*, et *de ope-*
„ *ribus Speculorum* composuerit. Ex quorum li-
„ bellorum cognitione, potissimum autem ex præ-
„ senti *Epistola*, hodie nobis admirandæ illæ, mul-
„ tiplicesque non tam in geometricis hydrographi-
„ cisque Observationibus commoditates redun-
„ dant, quàm in ipsiusmet Astronomiæ proble-
„ matibus fœlices animæ ad subtiliora altius in-
„ flammantur....

Agit subin *Gassarus* de persona *Peregrini*, quem *Gallum* fuisse, & vix totis trecentis annis ante (scilicet *sæculo* 13. exeunte circiter) barbara litterarum ætate vixisse, philosophisque recentioribus post *Albertum* Bolstadium *magnum* annumerandum esse opinatur. Addit, se hunc *Tractatum* transsumsisse ex Codice pergameno ante octoginta aut plures annos (1470. circiter) exarato.

XVII. *Descriptio urbis Lindoiensis*, quam *Noster Sebastiano Münstero* communicavit: ille *Operi* suo *cosmographico* inseruit. V. *Goldasti Script. Rer. Alleman. T. II. p.* 166. ubi *Noster* mendose *Casparus* vocatur. *Bruckerus* quoque *l. c.* notavit, *Nostrum*, in descriptione *Lindavii*, *Feldkirchæ* & *Curiæ Rhætiæ*, opem *Münstero* tulisse: Idem a *Nostro* in Descriptione urbis *Augustæ* factum esse, *Adamus l. c.* refert.

XVIII. *Ottfridi Evangelia*, hoc titulo. *Liber Evangeliorum Christi Rithmis in theotiscam linguam versus: Fünf Bücher des Heil. Evangelii von unserm Herrn und Heiland Christo uß den 4. Evangelisten mit altfrenckischen tytschen Rimen vor 700. jahren durch Münch Ottfriden von Wyssenburch zu St. Gallen.*

In fronte Libri, qui MSS. in Bibliotheca *Krafftiana Ulmæ* extitit, *Gassarus* sua manu notaverat: *Transsumptus â me A. P. G. L.* (h. e. Achill. Pirmin. Gassaro Lindaviensi) *hieme anno salutis* 1560. *Augsburgi, in summa Asmodæi vexatione.* Accessit ipsa *Gassari* manu *generalis Confessio*, prisca Germanorum lingua, ex Gregoriano Missali in *Bojaria* descripta, nec non *Glossarium theotiscum.*

Descripsit autem primus hæc *Evangelia* (Atque ob hoc â *J. G. Eccardo* in *Hist. Stud. etymolog.* & â *Dieter. von Stade* in *Specim. Lect. Francic.* aliisque multas laudes *Gassarus* retulit meritò) descriptaque *Conr. Gesnero* transmisit excudenda. Sed cum ille typopraphum, qui imprimeret, nullum invenisset, *Matth. Flaccio Illyrico* tradidit: qui eadem anno 1571. *Basileæ*, in 8. cum Versione germanica vulgavit. Nunc curatiùs recusa habentur in *Thesauro Antiqq. Teutonic. Schilteriano.* fol. *Ulmæ* 1728. Confer *Placcii Theatr. Pseudonym. p.* 9.

XIX. *Epistola ad Hieronymum Wolfium*, habetur ante CICERONIS *Somnium Scipionis*, â *Wolfio* 1569. in *folio* editum: cui *Noster* gratias agit, quod hanc lucubrationem nomini suo inscribere voluerit; & *Carmine* non ineleganti *Wolfio*, qui sententiam *Nostri* exquisierat, candide respondet: se *Veterum* de *Anima*, *Mundi origine*, *Anno*

mag-

magno &c. &c. dogmata nihili facere. De reliquo *Wolfius* non ſolum à *rei medicæ*, ſed etiam ab *omnis Philoſophiæ*, *Matheſeos*, ſimulque ab *Hiſtoriarum* cognitione *Noſtrum* ampliter in dicta *Nuncupatoria* commendavit.

XX. *Epigramma in Epiſtolas obſcurorum Virorum n*). Scripſit *Noſter* ſub fictitio *Aeacidis Philyrani* nomine: edidit *Schelhornius Amœnit. littevar. T. IX. p.* 660. Plura alia *Epigrammata* propemptica Librorum, ea ætate excuſorum, paſſim extant à *Noſtro*: à quo inſuper *varias Schedas*, *Epiſtolia*, *Carmina*que manuſcripta ad *Caſp. Heldelinum*: item alias *Epiſtolas* manuſcriptas in *Bibliotheca Krafftiana*, *Ulmæ*, exſtitiſſe monuit citatus *Schelhornius l. c. T. III. p.* 116. 118.

XXI. *Catalogus Regum omnium, quorum ſub chriſtiana profeſſione per Europam adhuc regna florent.* in 4. *Auguſtæ.* 1554. Hunc in gratiam *Udalrici Fuggeri o*) collegit, eiusque etiam illuſtri nomini inſcripſit *Noſter.* Eundem *Janus Grüterus* ſuo *Chronico Chronicorum*, *T. III.* inſeruit.

XXII. *Catalogus Regum Hieroſolymitanorum.* 1559.

XXIII. *Hiſtoriarum & Chronicorum mundi Epitome, velut index.* in 8. *Baſileæ* 1535. *excuſa & indice alphabetico aucta.* Tertia vice hanc Epitomen *Gaſſerum* edidiſſe obſervavit jam *Adamus* in *Vit. Vir. illuſtr.* et alteram editionem *Baſileæ* quoque 1532. in 8. excuſam ſervat Bibliotheca *Auguſtana.* In ultimæ editionis dedicatione ad *Leonardum Baierum*, præceptorem ſuum, *Lindavii*

1534.

n) Confer *Mylii Biblioth. Pſeudonym. p.* 42. *n.* 320.
o) De hoc vide *Alphabet. VII.* meæ *Biblioth. Auguſt.*

1534. Cal. Octobr. scripta, *se propterea*, ait, *novam hanc eamque emendatiorem curavisse editionem, ne diutius imprudens juventus prioris libelluli erroribus impedita (nam hic creberrime, detestandâ librarii culpâ, & debito numerorum in ordine peccat, et pueriliter soloecizat) a recto temporum cursu deviaret.* Extenditur vero altera editio ad annum 1531. tertia ad annum 1534. inclusive. Inde componi facile inter se dissentientes auctores possunt, qui in anno hoc, quem laboris sui terminum *Gasserus* fecit, variant. *Caspar Sagittarius* enim in *Introduct. ad Histor. Eccles. pag.* 122. ad annum 1520. *Christoph. Wendlerus* in *Dissert. II. de Meritis Reipubl. August. in Rem litterar. p.* 60. ad annum 1530. ponit. Ex dictis vero manifestum, *Gasserum* in singulis editionibus continuationem adjecisse, & *vidit forte primam editionem Sagittarius* *) *quamvis vix credendum, anno* 1520. *quô Gasserus* 15. *Ætatis annum nondum superaverat, eum jam composuisse.* Hæc *Bruckerus l. c.* Aliam editionem huius libri *Placcius* in *Theatr. Anonym. n.* 1096. recenset h. t. *Epitome Historiarum & Chronicorum mundi; pro Antonio Constantino excudebat Sulpitius Sapidus. Lugduni.* 8. sine anno impressionis. Præmittitur præfatio *Nostri* ad *Leonardum Baierum*: in fine Carmina duo subjuncta sunt; prius novem distichorum cum hac inscriptione: *In Chronico Achillis Pirminii Nicolaus Gerbelius p)*

pa-

*) *Sagittarius* non ait: *Basileæ anno* 1520. *impressam fuisse Epitomen;* sed tantum ait: *Epitomen usque ad annum* 1520. *extendi. & hanc Basileæ impressam esse*; quin annum impressionis addat.

p) *Gerbelius* Jura *Viennæ*, Historiam *Argentorati* publicè docuit, de quo *Adamus* & alii videri poterunt.

pater; posterius unius saltem distichi, cum inscriptione: *Ad Auctorem ipsum, Nicolaus Gerbelius filius. Lipenius* in *Bibl. philosoph.* memorat editionem anni 1536. *Antverpiæ* factam, item aliam, *ibid.* 1538.

XXIV. *Annales Augstburgenses*, de quibus dicere restat. Occasionem Operis dedit *Sebastianus Münsterus*, qui cum Operi suo cosmographico perficiendo perpoliendoque insudaret, eumque in finem varia loca ipsus inviseret, *Augustam* venit, de hac urbe notitias certas congesturus. Cum vero nihil ibi subsidii invenisset; facile tamen a *Gassero*, qui ei (ut supra monuimus) in describendis *Lindovia*, *Feldkirchio* & *Curia Rhætiæ* fidam navaverat operam, impetravit, ut de nobilissima hac *Rhætorum* urbe, quantum tum ipsi præsto erat, cum eo communicaret. Quem in finem quædam etiam *Nostro* ex divite eruditionis & amplissimæ rei patriæ cognitionis penu tradidit *Augustanorum* tum ornamentum *Claudius Pius Peutingerus q*). Hæc cum & pauca, et non nisi ecclesiastica essent, amicorum *Noster* hortatu ad pertexendam, quam cœperat, telam se accinxit. In ea, præter *Clementem Venatorium r*), adjutorem *Joannem Baptistam Hainzelium s*) habuit, *qui innumeros de hominum Augustanorum* (*Gasseri* hæc verba sunt) re-

q) De Viro isto dignissimo vide *Historiam Vitæ &c. Conradi Peutingeri*, â me post *Jo. Georg. Lotterum* curis secundis editam, *p.* 26.

r) *Venatorius*, vernaculo nomine *Jæger*, in monumentis *Historiæ Augustanæ* pervestigandis diligentissimus fuit, ob id â me laudatus in *Alphabeto III. Biblioth. August.*

s) In eadem *Bibliotheca* mea sæpius de hoc Mecænate studiorum & Eruditorum mentio occurrit.

rebus gestis libros, nec non quorumcunque civium privata & domestica Chronica vetustasque tabulas undique eruit, Nostroque ad usus suos ad nauseam usque tradidit. Absolutum Opus *Gasserus* patrono huic suo (*Hainzelio* nimirum) dedicavit, quod et ille animo grato accepit, & ut magis magisque perficeret, hortatus est. Tertiam ergo manum *Noster* Operi huic suo admovit, habituque nitidiore & forma pleniore compositum secunda vice *Hainzelio* inscripsit. Virorum præterea eruditorum consilia & censuras eo super opere exquisivit; nominatim *Hieronymi Wolfii t) Xysti Betulei, Cyriaci Spangenbergii*, quorum observationes longius enarrat *Bruckerus l. c. p.* 431. 432. 433. ego ob brevitatem, cui studeo, prætermitto. His gestis Opus *Henrico Rehlingero à Radau* tum Duumviro anno 1573. addita Epistola, quam apud *Bruckerum* invenies: itemque anno 1577. *Davidi Byrglino* Augustano paucis ante obitum diebus obtulit. Ex allatis patet, *Gasserum* suum hoc *Chronicon* sæpius descripsisse. Tandem ipsi Senatui Augustano prolixa in hunc finem conscripta Epistola, quam *Menckenius* in *Script. Rer. Germ. T. I. p.* 1951. exhibet, dedicaturus erat: imo id factum fuisse vix dubitandum, licet in publicis urbis Augustanæ scriniis & ἀρχείοις exemplar hodie extet nullum; cum ibi olim unum fuisse probabile sit, quemadmodum in *Bibliotheca Reipublicæ Augustanæ* asservatum fuit *u*).

Post

t) De hoc vide in *Vita Wolfii*, à me edita in *Alphabeto VII. Biblioth. Augustan. p.* 204.

u) Primum & domesticum *Gassari* exemplar vidisse se in Bibliotheca *San - Udalricana*, *Augustæ* testatur

Bru-

Post mortem *Nostri* delituit longiori tempore Opus, donec anno 1593. Hanoviensis Typographus *Guilielmus Antonius*, auctore *Wolfgango Hartmanno* pastore Eberspacensi, illud prælo subjicere cogitavit. Cùm vero huius conatus sui rationem *Augustanæ* urbis proceribus perscripsisset, monitus est, ne eiusmodi quidpiam, quod Senatui & Reipublicæ præjudicio esse posset, susciperet: Quin ab eodem Senatu datæ litteræ ad Senatum *Francofurtanum* & ad *Fisci Cæsarei* in ea urbe *Ministrum*, Decanum ad S. Bartholomæi, ut librum hunc *falsitatibus infamiaque non honestis tantum familiis, sed et ipsis imperatoribus, principibusque personis gravem supprimat, impressaque folia* (Erant numero 132. sive 1½. Alphabetum) *e medio tollat*: quod etiam factum. Igitur *Wolfgangus Hartmannus* desperatam editionem latinam cernens, de Germanico ejusdem Compendio cogitare cæpit, quod etiam ab eo anno, ubi *Engelberti Werlichii Chronicon Augustanum* ex *Marci Velseri* commentariis potissimum congestum desinit, ad annum 1576. duabus partibus confecit: Id *Dieterico Cæsari x*), qui suis sumptibus *Werlichianum Chronicon* excudi fecit, dicavit. Ut vero & sub alterius nomine lateret tutius (Fulmen enim jam senserat Superiorum *Hartmannus* in latina editione) & ut facilius emtorem inveniret, si

Bruckerus l. c. idque etiam accuratius describit. Extat illud adhucdum in memorato loco. In privatis Bibliothecis *Augustanis* plus quam 30. apographa delituisse, monet *Paulus à Stetten* in *Vorbericht de Script. Rer. August.* ad *Tom. I. Histor. August.*

x) De *Wolfg. Dieter. Cæsare* nonnulla attuli in *Alphabeto II. Biblioth. August.* Confer *Placcium* in *Biblioth. Pseudonym. n.* 2898.

ſi tota *Auguſtanorum* hiſtoria propinaretur lectoribus, non ſublatus tantum partis ſecundæ & tertiæ titulus & dedicatio (unde rariſſime hodie conſpiciuntur) ſed in fine quoque *Werlichianæ* partis addita nota (*reliqua ex Gaſſeri annalibus eſſe deprompta*) deleta fuit, ut incauto lectori imponatur, isque exiſtimet, cuncta, ut fert titulus, *Werlichium* ex *Welſero* deprompſiſſe, omniaque primæ partis auctorem agnoſcere parentem. Et hæc quoque ratio eſt, pauciſſimis cognita, cur hoc *Chronicon Auguſtanum* modo ſub *Welſeri*, modo ſub *Werlichii* primæ partis Auctoris, modo ſub *Cæſaris* editoris, modo ſub *Gaſſeri*, qui materiam *parti II. & III.* miniſtravit, modo ſub *Hartmanni* partium reliquarum auctoris nomine veniat & laudetur. Cæterum admodum mancam, jejunam, & in multis mutilatam, maleque translatam eſſe hanc *Gaſſeriani* Operis verſionem & epitomen, ipſa collatione edoctus eſt *Bruckerus*. Fallitur autem *Bibl. Hiſt. Auctor* (Struvius) qui ex loco *p.* 370. extante conjicit, Germanici huius Operis auctorem ipſum *Gaſſerum* videri. Inepte enim *Hartmannus*, ut alia multa, hæc ex latino *Gaſſeri* Opere deſumpſit. Hactenus iîsdem fere verbîs BRUCKERUS *l. c.*

Jam ad ipſos *Gaſſeri Annales* ſermo referendus videtur. Iacuerant illi poſt prohibitionem illam, Operi certe parùm honorificam, quaſi conſepulti; donec illos *Jo. Burck. Menckenius* dignos cenſuit, quos a *Salom. Ern. Cypriano* è *Gothana Bibliotheca* communicatos, ſuis *Scriptoribus Rerum Germanicarum. T. I.* insereret, iis adjectis, quæ â *Patritiis Auguſtanis*, initio huius Narrationis omnis nomine vocatis, & quidem carptim, ob

ob temporis ſcilicet præſcripti anguſtias, communicata acceperat: Hunc itaque Lector harum rerum curioſus adeat, rogo.

De *fide* dictorum *Annalium* ſciſſa ſunt partium judicia. Quod ſi de illa certi quidquam ſtatuere vellemus, conferendi eſſent fontes, ê quibus ſua hauſit Auctor: Hos, cùm ille indicare neglexerit (quod ipſum *Menckenius* & *Bruckerus* dolent) jam, poſt duorum ſæculorum intervallum, fruſtra nos inveſtigabimus. Ego fidem *Noſtro* nec arrogare omnem, nec etiam omnem derogare velim. Majore, agens de politicis & civilibus rebus: minore, ſacras & eccleſiaſticas narrans, dignus eſſe videtur. Profecto *Epiſtola Senatûs Auguſtani*, Opus *falſitatibus grave* eſſe pronuntians, Scriptoris auctoritati vulnus vix ſanabile inflixit. Deinde, quod in verbis apertiſſimis *Wolfgangi Aitinger*, pii & docti ſacerdotis, *Gaſſarus* auſus eſt, turpiter illa invertens, uti in *Alphabeto IV. Bibliothecæ* huius *Auguſtanæ*, *p.* 146. evidentiſſime docui, eum dubiæ fidei Auctorem eſſe, comprobat. Confer, ſi vis, *Alphabetum* idem, *p.* 19. 58. 67. 228.

Stylo autem uſus eſt *Noſter*, ab omnibus improbando, contumelioſiſſimo, præcipue adverſus Res ſacras, Pontifices, Epiſcopos, Imperatores, & Perſonas maximi nominis ſæculares, ac eccleſiaſticas: itáque ſingulas ferme Operis paginas conviciis, amarulentiis, ſcommatibus inferciit, ut Lectori bene morato, cuicunque demum, nauſeam ciere omnino debeat. Hinc laudatus Senatus Librum *infamiâ gravem* vocat. Hinc *Paulus y)* â

y) V. *Hiſtoriam* eius *Auguſtanam* vernaculam, in 4. in *Vorbericht de Scriptor. Rer. Auguſt.*

à Stetten ipſus candidè profitendum ſibi judicavit, *ſe Gaſſari in Clerum Romanum vehementiam probare nullo modo poſſe.* Hæc de *Annalibus Auguſtanis*; ex quibus plenam laudem referre potuiſſet Auctor, niſi eos memoratis ſordibus deturpaſſet.

Præter citatos Auctores videri inſuper de *Noſtro* poterunt *Keſtneri Mediciniſch. Lexicon. Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache. T. I. IV. V. Unſchuldige Nachrichten &c. T. XXX. p.* 141. *Catalogus Bibliothecæ Spizelianæ, pag. ultima, bis.*

RESCHIUS (*Laurentius*) vero & vernaculo nomine *Reſſ*, de quo pauca hucusque reperire quivi, etſi eum haud ignobilem Medicum extitiſſe deputem. Hic *Auguſtam* advectus Wolfgangum *Rehlingerum*, Patritium magni nominis Virum *a*) Mecænatem & ſingularem Patronum habuit: ad quem etiam, minus commoda valetudine utentem, *Conſilium medicum* ſcripſit, de quo inferius dicam. Anno 1543. *Noſter* à Senatu (unà cum Chriſtophoro Chriſtophoro *b*) *Rehlingero* & Chriſtophoro *Wirſungo* *) Senatoribus, cum Wolfgango *Muſculo* Theologo, & Auguſtino *Müllero* Juriſconſulto) Scholarchis Symperto *Hoſero &* Jo.

a) Sæpius Conſulatum geſſit, & quaſi ſumma poteſtate res patriæ, graviſſimâque negotia adminiſtravit, magna apud omnes exiſtimatione atque auctoritate florens. Sed vertente anno 1543. præter omnem civium exſpectationem muneribus, ipſoque civitatis jure ſe abdicavit, *Argentoratum* migrans. Confer à STETTEN *Hiſtoriam* vernaculam *Auguſtanam*, *T. I. p.* 358-371.

b) Sic nomen geminare placuit.

*) De *Wirſungo* mox dicam.

Jo. Jac. *Fuggero* ob publicas examinationes adjunctus fuit: *Qui mense Junio leges pueris præscripserunt, & certa didactra Magistris, à discipulis solvenda, constituerunt c).*

Vidi â *Nostro* in Bibliotheca *D. Georg. Guilielmi* ZAPFII manuscriptum *Consilium medicum* valde prolixum, additum aliis aliorum Medicorum *d*) consiliis, ad memoratum Wolfgangum *Rehlingerum*. Huic præmisit *Noster* Epistolam nuncupatoriam, ex qua in confirmationem eorum, quæ superiùs attuli, sequentia excerpere placet:

„ Cum ego jam sæpius a primo meo in hanc „ clarissimam urbem ingressu acriter multumque „ mecum deliberaverim, qua tandem via obscuri„ tatem meam ingenii aliqua significatione erige„ rem, ecce; incomparabilis illa tua Præstan„ tia . . . me singularis benevolentiæ significatio„ ne complectitur. Qua humanitate adducor, ut „ abunde exspectationi meæ satisfactum, mihi „ persuadeam. Tuum enim unîus (ut sapientissimi „ Viri) judicium certa ratione totius civitatis ju„ dicii pondus apud me habet; cum supremum „ dignitatis gradum, virtutibus illis egregiis ac „ summa ingenii præstantia, in hac tua patria „ revera augusta sis consequutus, idque certe hoc „ nomine justius, quod amplissimarum disciplina„ rum ornamenta ad felicem reipublicæ admini„ strationem attuleris, et summis virtutibus et „ domi et foris universum vitæ tuæ cursum red-

c) V. STENGELII *Commentar. Rer. August. p.* 290.

d) Hi sunt *Damianus Beham* paulo superius memoratus, cuius *Consilium* datum est *Kaufburæ* die 8. Octobr. 1535. *Joannes Phrysius Lymburgus*, D. *Gereon* (haud dubie) *Seilerus &c. &c.*

„ dideris illustrem, ut dolendum sit, cùm feli„ cissimo cursu metam attigeris, jam in ipsa por„ ta invictam illam virtutem, ob corporis robur „ collapsum .. retinere non posse. .... Qua re et „ ego pro meo officio, quod tibi tanquam Mæce„ nati debeo, non mediocriter afficior, quod ani„ mi mei summum erga Præstantiam tuam stu„ dium, non alio potius jucundiori, nempe offi„ cii genere, declarare potuerim. Sed tamen „ nactus hanc occasionem nihil præterire, nihil „ omittere visum est, ex quo sanitati tuæ aliquid „ jucundii accedere possit. Cum enim sæpe in mea „ præsentia de malis istis affectibus ultro citro„ que multa differerentur, operæ pretium factu„ rus videbar, si ex artis medicæ præceptis sin„ gula explicarentur, quò doctissimi viri, ad quos „ mittitur, non ùt legentes singula contempla„ rentur, sed quasi rem præsentem videntes cer„ tius, et ab omni erroris suspicione liberi, dum „ ex methodo omnia tractantur, de explendis „ intentionibus collectis pronunciarent.... Postre„ mo mihi in hoc genere laboris tanto acrius „ fuit insudandum, non solum, quod novus et „ peregrinus, sed etiam, quod nullo publico mu„ nere sim conspicuus. Accidit enim, ut quæ „ nulla auctoritate sint munita, etiam si per se „ non sint contemnenda, tamen magis calumniæ „ sunt obvia, quam ea, quæ magnorum virorum „ splendidis inscriptionibus animum auditoris in „ admirationem pelliciunt ... "

WIRSUNGUS (*Christophorus*) quem, exemplum *Jac.* BRUCKERI *l. c.* sequens, *Medicis Augustanis sæculi XVI.* annumerare volui. Ante

Bru-

Bruckerum de *Nostro* memoravit *Melchior Adamus*, et, qui hunc rescripsit, *Freherus*.

Primam lucem *Noster* vidit *Augustæ* anno 1500. familiâ patritiâ ortus. *Reginbaldus Möhnerus* in *Stemmatographia MSS. Patrit. August.* facit eum filium *Marci Wirsung* *) & *Agathæ Sulzerinæ*, qui anno 1491. in matrimonium coiverant. A puero bonis litteris imbutus *Venetias* venit, linguam *Italam* penitius cogniturus. Ibi Tragoediam: *Calixstus et Melibea*, ex sermone Hispanico in Longobardicum conversam vidit legitque, quam annis labentibus etiam edidit, a se in Germanicum idioma translatum. Anno 1534. *Annam Furtenbachiam* (*Schellenberger* in *Registro nuptiali* vocat *Futtennäglinam*) connubio sibi junxit, uti mox citatus *Möhnerus* tradit. Ad annum 1543. senatoria dignitate fulsisse *Nostrum*, & Scholarchis adjunctum fuisse, ut res ludi *Annæani* certo ordine gererentur, paulo ante in *Reschio pag.* 130. ex *Stengelio* docui.

Senex, rebus suis ita ferentibus, in *Palatinatum* concessit, sedemque fortunarum, ac senectutis domicilium *Heidelbergæ*, haud dubie apud generum suum, *Ehemium*, de quo mox recurret mentio, fixit. In ea urbe atque in eo otio minime otiosus, sed studiis, quæ ab ineunte ætate coluerat, intentus vitæ reliquum exegit, e vivis sublatus anno 1571. die 25. Januarii. Fuit, testante *Adamo* in *Vitis Philosophorum*, *p.* 117.

*) Haud dubito, quin hic sit ille *Marcus Wirsungus*, qui cum *Sigismundo Grimmo* typographæum habuit. V. *Diatriben* meam de *Typograph. August.* &c.

Vir consuetudinis suavissimæ, litterarum et litteratorum amantissimus. Amicos habuit suæ ætatis viros præstantissimos, inter quos Beatus Rhenanus, *Conrad.* Gesnerus, *alii. Filium reliquit* Philippum **) *Medicinæ Doctorem: filiam vero* Mariam *elocavit in matrimonium Christophoro* Ehemio *Patritio Augustano et Cancellario Electoris Palatini, quæ paulo post patrem obiit, cum eodem sepulta in Choro ad D. Petri, Heidelbergæ.* Addit idem *Adamus* sequentia: *Implevit Viri omni laude digni partes, Civis in patria sua honoratus, Senior sive Diaconus in Ecclesia Augustana per multos annos inculpatus.* Quid hoc rei: *Senior sive Diaconus*? Equidem ista verba significare videntur, *Nostrum* in *ministerio Verbi* (ùt aiunt) operam posuisse. Verùm cum Liber: *Ministerium evangelicum Augustanum* ne verbulo quidem *Nostri* meminerit: & *Adamus* ipse *Nostrum* non inter Theologos, sed enim Philosophos collocet, verba illius in eum sensum accipienda puto: ut *Nostrum*, vitâ probâ ac seniô intervenientibûs, multam venerationem â suis collegisse credamus. Utcunque se hoc habeat.

Doctrinæ et ingenii documenta *Noster* reliquit sequentia:

I. *Ain Hipsche Tragedia von zwaien leibhabenden mentschen ainem Ritter Calixstus und ainer Edlen junckfrawen Melibia genannt, deren anfang muesam was, das mittel siess mit den aller bittersten ir bayder sterben beschlossen.* in 4. *Cum figuris*

**) Nil vetat credere, hunc esse *Wirsungum* illum, quem ad annum 1590. inter celebres Medicos *Augustanos* recenset *Crusius* in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 854.

ris ligno incisis. Ad calcem legitur: *Gedruckt und vollendet in der kayserlichen stat Augspurg durch Sigismund Grymm Doctor, und Marx Wirsung, nach der geburt Christi 1520. am 20. tag. Decemb.* Dicavit *Noster* Matthæo *Lang* à *Wellenburg* adolescenti adolescens ipse, propinquo suo, a quo se magno *Matthæo Lang* Cardinali & Archiepiscopo *Salisburgensi* commendari rogat.

II. *Vita Bocatii de Certaldo, incerto Auctore, ex italica in latinam linguam translata.* Extat cum dicti *Bocatii* Opere: *de Casibus Virorum illustrium. Augustæ.* 1544. impressô.

III. *Bernardini Occhini Sermones. 4. Volumina.* Hos a se germanicè versos esse ipsemet testatur in *Præfatione* ad eiusdem *Occhini Apologos*, de quibus dicere pergo.

IV. *Bernardini Occhini Apologen.* in 4. 5. *Bücher. Augsburg.* 1559. V. *Cat. Bibl. Bünav. T. III. p.* 1092. Confer *Car. Fried. Floegelium über die komische Litteratur. T. II. p.* 133. ubi de hoc Opere agitur, multis præter rem ac propositum inspersis.

V. *Marcelli Palingenii Zodiacus Vitæ sive Poemata.* Hæc doctissimis adjectis Commentariis edidisse *Nostrum*, testatur *Adamus l. c.*

VI. Opus medicum, in quo omnia humani corporis externa et interna membra primum describuntur, deinde singulorum morbi et eorundem cura. in fol. *Heidelbergæ. Germanice.* 1568. Ita testatur *Simlerus* in *Bibliotheca.* Idem Opus, post fata *Nostri*, recudi fecit *Jac. Theodor. Tabernæmontanus* a se recognitum et emendatum. in fol. *Francofurti.* 1577. Ego vidi Editionem tertiam, *Neapoli - Nemetum.* 1592. procusam, hoc titulo:

Neues Artzeneybuch, darinnen fast alle äusserliche und innerliche Glieder des menschlichen Leibes samt ihren Krankheiten und Gebrechen, vom Haupt an bis zu den Füssen; und wie man dieselbe auf mancherley Weise wenden und curiren solle &c. &c. Aliam Editionem anni 1597. memorat *Kestnerus* in *Bibliotheca medica*, p. 607. 608. Primævam dicavit *Noster* anno 1568. die 20. Maji *Friderico Palatino Rheni*, inter alia dicens: *Congessisse se amicorum aliorumque, quibus parere omnino conveniens fuit, hortatu cuncta, quæ ab annis quadraginta sex, & hos inter ad minimum quinque lustra officinas pharmaceuticas frequentando: tum in Comitiis Imperialibus, ab indigenis juxta ac alienigenis doctrinæ maximæ Medicis* (per Italiam Germaniamque) *didicisset, usu probata, a summis Principibus adhibita, necdum cognita: eaque in patrum familias et plebejorum hominum, tum medicorum opera tum pharmacopoliorum opportunitate carentium utilitatem foras emisisse.*

VII. *Augustini Marlorati Expositio catholica ecclesiastica in novum Testamentum.* Huic in linguam Germanicam traducendæ, quamprimum *Heidelbergam* venit, manum admovisse, Versionemque usque ad *Epistolam S. Pauli ad Colossenses* perduxisse docet ipsemet in *Dedicatione* ad *Opus* suum *medicum* supradictum, haud obscure significans, ob temporum iniquitatem ac perturbationem de editione facienda desperandum esse.

VIII. *Ludovici Lavateri Homiliæ in Josuam.* Istis quoque in Germanicum convertendis operam *Noster* navare instituit: eisdemque etiam immortuus est.

Hæc

Hæc de *Christophoro*, cui ob nominis et doctrinæ affinitatem jungere libet *Joannem Georgium* WIRSUNGUM, etsi ætate posterior sit. „ Hic „ Patavii *in Anatomicis ad invidiam usque clarus* „ *fuit*, id quod etiam internecionem sceleratam „ a nebulone quodam intentatam ipsi tandem „ conciliasse dicitur, Cum enim supra omnes suos „ antecessores in publica cathedra quotidie tri„ umphos ageret, crabrones tantopere irritavit, „ ut ab Italo quodam (sine dubio mercede con„ ducto ad illum interficiendum) in museo suo, „ sclopeto trajectus fuerit. Primus anno 1642. „ detexit *Ductum pancreaticum*, per totam pan„ creatis longitudinem sese extendentem, eodem„ que osculo cum Ductû choledocho in cavum „ intestini duodeni hiantem. Quamvis enim ab „ aliis Anatomicis ante ipsum quoque visus sit „ hic Ductus, pro arteria tamen habitus, nec pro „ peculiari vase, peculiarem succum vehente, et „ in duodenum infundente agnitus fuit. Licet „ igitur præmatura violenta morte orbi erudito „ ereptus, nihil scriptis consignaverit; habet ta„ men hic *Ductus* ab illo suam denominationem „ et *Wirsungianus* in hunc usque diem dici„ tur *a*). "

Ita *Joan. Jac. Mangetus* in *Bibliotheca Scriptor. medic. p.* 641. 642. ubi tamen errat, dum *Nostrum* gente *Bavarum* fuisse, nihilque scripsisse asseruit. Nam *Bruckerus l. c.* disserte provocat ad *Epistolam Riolano* de isto *Ductu* â *Nostro* scrip-

I 5 tam.

a) V. *Thom.* BARTHOLINI, quo præsente id factum, *Anatom. c.* 13. *p.* 113. GOELICKE *Hist. Anatom. p.* 135. & alios, qui de *Pancreate* scripserunt.

tam. Præterea extat â *Nostro* Tractatus b) *de V. S.* quem *Georgius Hieron. Welschius*, clarissimi nominis Medicus Augustanus, inter Opera, quorum editionem meditabatur, habuit hac epigraphe: *Jo. Georg. Virsungi Libellus de V. S. cum annotationibus et animadversionibus meis ad circulationem sanguinis expositis* c). Idemque *Welschius* in *Præfatione* ad *Episagmata sua* monet: *inter relicta Jo. Georg. Virsungi civis* (ut ait) *nostri, sed Medici, Anatomici & Chirurgi Patavini dexterrimi* horum Episagmatum partem *ad se pervenisse*.

b) Lege: *de Venæ sectione.*
c) V. *Luc. Schroeckii Memoriam Welschianam*, & *Mangetum l. c. T. IV. p.* 482.

MARTIUS (*Ieremias*) cuius *Vitam* & *Scripta* repperire est in præsentis *Bibliothecæ Alphabeto VII.* quod videre placeat.

LAUBIUS (*Georgius*) cuius *Vitam* & *Scripta* dedi in *Alphabeto VI.* huius *Bibliothecæ*, quod consulas, rogo.

CNEULINUS (*Tobias*) de quo paucis dixi in *Alphabeto VI. p.* 116. ubi etiam de Filio eius, *Ieremia*, breviter habes.

STENGLIUS (*Lucas*) cuius nomen a variis varie scribitur. Vocant eum *Stenglin*, vel *Stenglinum*, *Stengel* & *Stenngl.* STENGLIUM semetipse nominat in titulo *Trago-Podagræ Jo. Bapt.* MONTANI Hic patre *Marco*, mercatorii ordinis Viro, *Augustæ* anno 1523. natus est. *Patavii*, ubi *Jo. Bapt.* MONTANUM audiverat, *Doctoratûs* medici insig-

insignia anno 1549. ad diem 12. Januarii accepit. Ex *Italia* redux uxorem sibi adscivit *Felicitatem*, Bernardi *Waltheri* Viri Patricii filiam, patriæ civitatis *Physicus* constitutus; in qua ipsa medicam artem non sine magna nominis fama exercuit.

Praxi clinicæ intentus, super *Stibii* sive *Antimonii* in morbis usu cum *Michaele* TOXITE graviter collisus est, vulgatîs ultro citroque libellîs. Memoriam autem nominis sui ea potissimum re commendabilem fecit, quod Senatui *Augustano*, quò veriores Medici a circumforaneis et agyrtis distinguerentur, *Collegii medici* condendì certisque legibus muniendi auctor et impulsor extiterit. Effectum hoc est editô ad annum 1582. Senatûsconsultô, *Nostro*que omnium primo præfati *Collegii Decano* renuntiato. Quod munus, postquam annis quinque continuis mensibusque septem gesserat, anno 1587. senex abdicavit, eodem adhuc anno mense *Decembri* vivorum e numero raptus. Lucubrationes *Nostri* sunt:

I. *Articuli Collegio medico præscripti*, qui *Nostrum* auctorem habent.

II. *Quæstiones III. quarum prima est*: An Stimmi sive Antimonium ægrotantibus citra noxam exhiberi possit? *secunda*: An ratio curandæ pestis â missione sanguinis auspicanda sit? *tertia*: An pestem necessario a) subsequatur febris? *Augustæ Vindel.* in 4. 1566. Ita Operis titulum effert *Mangetus* in *Bibliotheca Scriptor. Medic. T. II. P. II. p.* 309. Consentit *Lipenius* in *Biblioth. medic.*

p.

a) Hæc *Quæstio* Conclusiones XXXIV. complectitur, quæ haud dubie memorati *Occonis III.* Conclusiones *de Peste* sunt. Vide superius, *pag.* 89.

p. 342. etsi *L. c. p.* 34. per errorem typi ponat annum 1565.

Cùm vero *Michael Toxites b*) primam harum *Quæstionum* editâ anno 1567. *Spongiâ Stibii adversus Lucæ Stengelii Adspergines* impugnasset, emisit econtra *Noster* Libellum hôc titulô:

III. *Apologia adversus Stibii Spongiam non ita dudum à Michaele Toxite editam &c.* in 4. *apud Philipp. Ulhardum* 1567 *c*). Iterum *ibidem*, in 4. Apud *Matthæum Francum.* 1569. Hanc editionem mihi visam latius recensere placet. Opus *Noster* dicavit *Joanni Fuggero* Comiti in Kirchberg &c. quem *medicæ professionis studio, ut & reliquis artibus liberalibus, animum imbuisse ac obfirmâsse* monet. *Nuncupatoriam* excipit elegans *Nostri* Carmen respondens ad Nobilis cuiusdam *L. W. ab H.* calumnias. Succedit *Apologia Nostri* adversus *Toxiten*: ad cuius calcem *Noster* Theses seu *Conclusiones* 70. primitus editas subjunxit, ut *de Stimmi, quæ inter utrumque exorta est, disceptatio Lectori liquidius constaret.* Opus clauditur *Carmine* ad *Toxiten*, & *Satyrâ doctissimi cuiusdam Viri in Paracelsicæ Medicinæ & Antimonii asseclas.*

IV. *Theses de Natura, Caussis, & Curatione morbi epidemici. Anni M. D. L. XXX. per Lucam Stenglium Medicum Augustanum.* in 4. *Augustæ Vindel. Apud Viduam Philippi Ulhardi impressum.* Theses has sive Propositiones numerô octo-

b) Qualis Vir *Toxites* fuerit, discere licet ex *Mangeti Biblioth. Scriptor. Medic.*

c) Etsi *Mangetus l. c.* ponat annum 1565. certè reponi debet annus 1567. cùm hoc primùm anno *Toxites* suam *Spongiam Stibii &c.* teste eodem *Mangeto* & *Lipenio* vulgarit.

Octoginta unam dicavit *Adolpho* OCCONI *III.* ſe-quentibus verbis: *Cum variæ ſint Medicorum no-ſtri temporis de præſenti Epidemia ſententiæ, & nos ſæpe numero (ut ſcis) de ea privatim contulerimus, petiiſti aliquando à me, ut meum quoque judicium publico aliquo ſcripto de eadem edito declararem... Hæc itaque quantulacunque tibi Amico veteri, quo-cum mihi à teneris fuit amicitia, familiaritas, & conſuetudo, nunc etiam affinitas, dono dedicoque...*

V. *Antitheſes contra Propoſitiones Sarmaticas Alexandri a* SUCHTEN. Sunt GASSARI, ſed *Noſtri* ſtudiô editæ. Vide ſuperius in *Gaſſero*, *p.* 117.

VI. *Trago-Podagra Jo. Bapt.* MONTANI. *Au-guſtæ Vindelicorum* in 4. Apud *Valentinum Schoe-nigk.* 1582. Edidit hunc *Montani* fætum *Lucas* noſter, eumque *Philippo Eduardo Fuggero* conſe-cravit, dicens:

„ Cuperem equidem ex animo, generoſe Co-„ mes! omnes eos, qui ſe curationi meæ ſub-„ mittunt, Dei O. M. cooperante gratia in pri-„ ſtinam adeoque integram reſtitui valetudinem; „ quod ſane ut fieri poſſit, nulli ego operæ, nul-„ li labori hactenus peperci..... Adſtipulatur ce-„ leberrimus ille Medicus *Jo. Bapt. Montanus*, „ Præceptor olim meus reverendus, cui æter-„ nam gratitudinem et debeo et defero, qui in „ ea (podagra) percuranda ſuam faſſus eſt inſci-„ tiam. Cum enim *Luciani Tragoedinam*, quæ „ *Podagra* inſcribitur, in ſermonem latinum con-„ vertiſſet, et diſcipulis ſuis dictaſſet, hanc, ut „ ex ore ipſius Patavii ante 34. circiter annos „ calamo exceperam, domi meæ ſitu obſitam et „ mutilam, quia forte in eam incideram, cum

„ cuto-

„ αὐτογράφῳ *Luciani*, ceu fonte ipſo conferre et pri-
„ ſtino nitori ubique reſtituere volui. Quidquid
„ autem id operæ eſt, aut laboris, hoc ego illu-
„ ſtri Dominationi tuæ dedicare .... volui; pri-
„ mum ut adverſus malevolorum calumnias et
„ obtrectationes aſſertorem et vindicem haberet
„ graviſſimum; deinde, ut de Amplitudinis tuæ
„ ſumma et incredibili in converſationibus philo-
„ ſophicis ſcientia, dexterrimoque de iisdem ju-
„ dicio ſententia teſtificatioque mea publice ex-
„ taret &c. &c."

VII. *Jo. Bapt.* MONTANI *Metaphraſis ſummaria eorum. quæ ad medicamentorum doctrinam attinent, edita a L. S. Aug. Vind.* 1571. 8.

Non ſolum his duobus, ſed pluribus *Jo. Bapt. Montani* foetibus primum quidem *Patavii*, deinde vero in *Germania* lucem dedit *Noſter*, teſte *Joanne* CRATONE Medico *Vratislavienſi*, qui in *Dedicatione* ad *Jo. Bapt. Montani Medici Veronenſis Conſultationes medicinales. Venetiis.* 1559. dicit: „ Mihi quidem nullum eſt dubium, quin
„ Excellentiſſimus *Montanus*, ſi videret libellos
„ plerosque, qui eius nomine circumferuntur,
„ in quibus ἀνακόλουθα plurima conſpiciuntur, pro
„ ſuis non eſſet habiturus; id quod de collatio-
„ ne iſtorum libellorum cum iis, quæ ſciente et
„ approbante *Montano* a *Luca* STENGELIO Me-
„ dico *Auguſtano*, primum quidem *Patavii*, dein-
„ de in *Germania*, opera et ſtudio *Caſpari d*) PEU-
„ CERI

d) De *Caſpare Peucero* vide *Adamum in Vitis Medicorum*, ubi dicitur: *Protulit etiam* (Peucerus) *Jo. Bapt. Montani Libellum de gradibus & facultatibus medicamentorum*; quod haud dubie *Stenglio* ſuaſore factum eſt.

CERI . . . . edita sunt, facile intelligi pote- . . . . "

AMWALDUS, veriori nomine *Georgius an* *id vom* WALDE *auf Durhoff*, de secta *Empyricorum*, tem medicam *Augustæ* sæculo XVI. exeunte ctitavit. Accidit autem anno 1582. ut Sena- s *Augustanus*, suadente inprimis *Luca* STENG- O vel STENGELIO, *Collegium* (quod mox mo- ii) *medicum* institueret, *Statuta*que ab ipsis Me- cis conscripta, sua auctoritate firmaret, volens ıc ratione, arti salutari debitum honorem & ju- ım venerationem conciliare, longeque arcere rculatores ac unguentarios. Horum in nume- m utrum accensendus fuerit *Noster*, sub judice lis t: attamen idem vim *Statutorum*, de quibus emini, ac severitatem in se primus sensit, quòd fficientia *Doctoratûs* sui testimonia edere & pub- :o *Doctorum* examini se subjicere recusaret, ur- m purgare anno 1583. jussus *a*). *Terram si- llatam*, sive *Panacæam* (dictam *Amwaldinam*) venisse se jactitabat: qua super re in gravissi- am cum *Andrea* LIBAVIO *b*) controversiam in- dit. Certe hunc acerrimum antagonistam; con- à alios, encomiastas, habuit; uti ex dicendis pa- bit. Extant à *Nostro* variæ Lucubrationes, quas ıumerare placet:

I.

a) *Lucas* SCHROECKIUS in *Hygea Augustana*, suf- ta *Jac.* BRUCKERI *Vitæ Occonum.* p. 116.

b) De LIBAVIO, eiusque Scriptis tum reliquis, m adversus *Amwaldum*, videsis FREHERI *Theatrum*, ILLIUM *de Doctoribus &c.* LINDENIUM *de Scriptor. me-* :. & alios plures.

I. *Bericht von der Panacœa Amwaldina.* Huius Operis editiones obſervavi, *Urſalienſem* 2. Vol. in 4. anni 1594. *Stuttgardianam* in 4. anni 1601.

II. *Vortrab auf Andreæ Libavii Schmähſchrift.* in 4. *Franckfurt.*

III. *Beſcheidentliche Entſchuldigung und Ableinung aller Diffamationen &c.* in 8. *Hanau.* 1594.

IV. *Reſponſum ad Andreæ Libavii, M. D. Tubarini, & Galenicorum placitorum Præconis, Neo-Paracelſica* τερετίσματα, *deliramenta, & impudentiſſimas calumnias.* in 8. *Francofurti.* 1595.

V. *Gloſſema in Epiſtolam Libavianam abhinc quinquennio de Panacœa Amwaldina ſcriptam.* in 4. *Rorſchachii, apud Leonh. Straubum.* 1596. Addita eſt *Epiſtola* in Panacææ Amwaldinæ eiusque Auctoris laudem a *Friderico Taubmanno* ſcripta: & *Propempticum* eidem factum â *Conrado Lejo*: denique *Encomion* in divinam & inauditam Panaceam, *Andrea Langnero* Magdeburgenſi &c. Auctore; quod uno anno prius (1595.) *Urſaliæ.* in 4. ſeparatim prodiverat *c*).

Conferri poterit *Hendreich* in *Pandectis Brandenburg. T. I.*

c) V. MANGETI *Biblioth. Scriptor. Medic.* & CLESSII *Catalogum Librorum &c. p.* 259. & 330. ubi invenies, etiam *Matthæum Engelhardum*, Suabacenum, Paſtorem *Creglingæ* ad Tubarim â partibus *Noſtri* ſtetiſſe, et eius in gratiam nonnulla edidiſſe. Contra rurſus malè *Noſter* vapulat â *Jo. Hartmanno Bayero*, in *Epiſtola* 124. *Ciſtæ medicæ Hornungianæ.*

ZANGMEISTER (*Joannes Paulus*) quem inter claros Medicos *Auguſtanos* ad annum 1590. nominare non intermiſit *Martinus Cruſius* in *Annal.*

nal. Suevic. Dod. III. p. 834. Hic patre *Hieronymo Zangmeistero*, Patritio *Augustano*, Viro nobilitate, doctrina, ac virtute præstanti *a)* editus, in Academià *Montepeliensi* circa annum 1575. sub celeberrimis Medicis ac Professoribus, nominatim *Laurentio Iouberto* medicinæ operam dedit; unde eum *studiorum suorum patronum moderatoremque prudentissimum* vocat. Memorati Athenæi quoque *Consiliarium* postea egisse *Nostrum* reperi. Sed hæc omnia ex inferius dicendis melius clarebunt.

Reducem in patriam cum nobili Virgine *Sabina Manlichia* anno 1583. ad diem 10. Novembris matrimonium inivisse, lego in *Registro nuptiali Schellenbergico*. Supremis autem fatis concessit anno 1597. die 20. Septembris: uti docet eius Epitaphium, quod habes inter *Praschii Epitaph. August. P. II. p.* 43.

Fuit *Noster* tum permagnâ artis salutaris cognitione præditus, tum parî eiusdem famâ inclytus: id quod *Jo. Castellus b)* in Tractatu *de Peste p.* 170. confirmat; ubi eum non solum *doctissimum* appellat, sed etiam *Gallorum Regis* (Henrici III.) *Medicum aulicum* diserte vocat, & *Aquâ bezoarticâ â se adinventâ innumeros â lue venerea liberâsse* refert. Confer *G. H. Welschii Episagmata C. in Addendis, p.* 15.

Ne-

a) De Gente hac Patricia vide *Seifferti Tabulas genealogicas.* Haud dubie etiam de illa agit *Paulus à Stetten* junior in *Historie der adelichen Geschlechter Augspurgs.* 4. Ceterùm *Nostrum* vix bene vel solo de nomine hactenus novit litteratus orbis.

b) Hunc laudavi in *Alphabeto VI. Biblioth. August.*

Neque id mirum cuipiam videri debet, considеranti, tam egregia doctrinæ fundamenta jecisse *Nostrum*, ut ipso studiorum suorum tempore præceptoris *Laurentii Iouberti Pharmacopoeiam* ex eius dictatis collegerit, emendarit ac recognorit, sæpius postea junctim cum *Iouberti Opp.* recusam, tum etiam seorsim hoc titulo:

Laurentii Iouberti Artis medicæ Professoris regii Monspeliensis . . *Pharmacopoea, operâ Jo. Pauli Zangmeisteri Patritii August. Philiatri, & eiusdem Academiæ Consiliarii in lucem edita, cum multis ad marginem suis Annotationibus.* in 8. *Lugduni.* 1579. Confer *Mangeti Biblioth. Script. Medic. Tom. II. P. I. p. XXXI.* qui nomen *Nostri* durioris pronunciationis vitandæ caussâ per *S.* effert: *Sangmaisterus*; & *Martini Lipenii Biblioth. medic. p.* 184. quos ex his corriges.

Dicavit *Noster* hunc ingenii fætum patri suo, qui *sumptus studiorum liberaliter suppeditabat*; cuius etiam hortatu, uti & *Henrici Stapedii* Medici *Lugdunensis* suasu, Opus edidit filius, inscio *Iouberto*, *sperans*, dictum *Stapedium qui apud Ioubertum plurimum valebat gratia ac favore*, *effecturum*, ut hoc discipuli institutum præceptor æqui bonique consuleret. Quid vero ipse in editione hac præstiterit, hisce pandit: „ Non satis habui, „ Pharmacopoeiam istam correcte transscribere, „ sed etiam commodum putavi, quasdam mar„ginales Annotatiunculas adjicere ex Auctoris „ ore prope decerptas, quando Pharmacopoeiam „ suam nobis publice explicaret. Addidi præte„rea, quæ privato meo studio expendi nonnul„la, ex approbatis Auctoribus deprompta, illu„strandi huius Operis gratia. "

Insu-

Insuper *Formulas Remediorum communium, quæ Pharmacopoei arbitrio atque peritiæ relinqui solent*: item *Ponderum & Mensurarum usitatiorum nomenclaturas & notas* adjecit *Noster* ad calcem Operis, cujus in fronte *Nostro* Carminibus applauserunt *Nicolaus Dorthomannus* Medicinæ Professor Monspeliensis, discipulo suo: *Desiderius Nemausensis*: *Franciscus Quoesius Thalloriensis*, *Jo. Blanchardus*: *Rollinus Anduzianus*: & *Petrus Reveill Monspeliensis*.

SCHEURLINUS (*Joannes*). Hunc CRUSIUS in *Annal. Suevic. Dodec. III. p.* 834. inter celebres Medicos, *Augustæ* degentes, ad annum 1590. annumerat: et in *Germano-Græcia*, *p.* 249. hisce alloquitur:

Salveto, Scheurline! *animo quem diligo toto*:
Qui vera pietate nites, sequerisque decorè
Virtutes: *nec non doctrinæ es nomine clarus*.
Salveto, qui plura adiisti pulchra Lycea:
Ante, Tubingæum; *post*, Rauracidis Basileæ;
Postea, Lutetiæ, Paduæ, *alibique locorum*.
Salveto, cui contigerat bene fidus amicus
Joannes Schwarzius *a*) *studii comes atque viarum*
(*Suavis amicus, in optandis non ultima res est*)
Dum medica summum gradum uterque est nactus in arte.
Hac equidem magnæ tu luce in moenibus urbis
Augustæ *celebras hymæneos b*) *lætus honestos &c&c*.

a) Hunc *Lutetiæ* fuisse, dum in nocte *S. Bartholomæi* feralis ensis sæviit, sed feliciter ad propria a propitio Numine reductum fuisse, idem *Crusius monet*.

b) Factum hoc est anno 1577. ad diem 21. Februarii.

Et *L. c. p.* 278. de obsequiis sibi â *Nostro* præstitis sequentia addit: *D. Scheurlino non semel molestus fui, petens: mihi Veneta ex urbe ab ipso curari* vulgaris linguæ Scripta Græca. *Ipse perhumaniter per D.* Mercurialem *Patavii Doctorem nactus* τὸν Δαμασκηνοῦ Θησαυρὸν, καὶ τὸ Ἰωαννηκίου Ἄνθος, *mihi ea* 28. *Februar.* 1578. *per Nicolaum Rostium* (Cratem) *Vinariensem, Musicum adolescentem, Augustâ huc misit. Ita linguam eam magis didici.* Nostrum *Medici eruditissimi* titulo ornare non intermisit *G. H. Welschius* testis maxime idoneus, addens, eum cum *Daniele Möglingo* Professore *Tubingensi* commercium aluisse epistolicum.

Obiit SCHEURLINUS, *Medicus, Philosophus, ingenio, doctrina & usu domi forisque clarissimus* anno ætatis suæ 48. salutis reparatæ autem 1596. uti docet *Epitaphium* eius, â Daniele *Praschio* allatum *T. III. p.* 31.

RAUWOLFIUS (*Leonardus*) græcè ab Adolpho *Occone III. Dasylycus*, & abs BELLONI Scholiaste *Sclerolycus* dictus, filius Mercatoris, â teneris unguiculis aptis traditus magistris, in optimarum artium curriculo egregios progressus fecit. Post visitatas *Germaniæ* Academias in *Italiam* ac *Gallias*, ubi tum temporis studium medicæ artis florere maxime videbatur, missus celeberrimis professoribus operam dedit; donec anno 1562. *Valentiæ* provinciæ *Delphinatûs* metropoli summos in scientia medica honores consecutus est. Per istud temporis intervallum (ùt erat rei herbariæ maximo amore incensus) cum Hieremia *Martio*, cuius ipsius in hac narratione quoque memini, præcipue circa *Montempessulanum*

(Ibi

Ibi Guilielmum *Rondeletium* Professorem famo-
issimum, a se auditum, singulariter prædicat)
nontes, & hos inter nominatim montem *Coetum*
aud procul ab urbe *Frontiniaco* ad mare situm,
alles, camposque perreptando sexcenta *Simpli-
ium*, quæ vocant, genera collegit, inque usum
nedicum exportavit a).

In Germaniam redux anno 1565. ad diem 26.
'ebruarii *Reginam*, Ambrosii *Jungii* junioris fi-
am, connubio sibi junxit: quacum privatim vi-
ens, praxinque exercens medicam, tandem *Ai-
iam*, pauloque post *Campodunum* secessit; usque
um anno 1570. *Augustam* repetiit, artem, quam
idicerat, in civium valetudine publico jam sti-
endio facturus. Verum immenso quodam in rem
otanicam amore, â prima juventute concepto,
agrans: herbarumque cognitionem Medico in-
timis & utilem & necessariam judicans, iter in
rientem, ubi plurima nasci nobis haud satis cog-
ta sciebat, diu meditatum ingredi denique se-
um decrevit. Quod propositum, ne forte à quo-
am temeritatis aut inconsiderantiæ argui posset,
ud *Solonis*, qui sapientiæ amore actus longin-
uas peregrinationes suscepit: *Platonis*, qui *Me-
iram*, *Italiam* et *Ægyptum* petiit: *Galeni*, qui
:*Lemnum*, *Cyprum*, et *Palæstinam Syriæ* eadem
: caussa navigavit, exemplis in *Præfat. ad Iti-
rarium* suum ipsemet belle defendit atque pur-
vit, addens: si

a) Vide *Crusii Annales*, *Dod. III.* *pag.* 725. *Bru-
ri Vitas Oeconum*, *pag.* 24. *Nostrum* in *Præfat. ad
nerarium* suum. *Adamum* in *Vitis Medicorum*, *pag.*
9.

Impiger extremos currat mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:
multo majora doctrinæ ſtudioſo optimarum ſcientiarum et earum, quarum poſſeſſio eripi nunquam poteſt, rerum cauſſa eſſe ſubeunda.

Itaque anno 1573. die 18. Maii Superiorum permiſſu, & conſenſu ſuorum in viam ſe dedit, navique *Maſſiliæ* conſcenſa variis caſibus, variisque periculis perfunctus demum in Eoo appulit orbe. Ibi per integri ferme triennii ſpatium varias obiens regiones, non ſolum mores, ritus, cærimonias tum Mahumetanorum tum Chriſtianorum vidit atque obſervavit; ſed etiam ſtirpes, herbas, frutices, plantas, et alia ad rem medicam facientia quamplurima inſolito labore, multis, quos Melchior *Manlichius,* mercator maritimæ negotiationi deditus, affinis eius una cum honeſto ſalario ſuppeditabat, ſumptibus: nec ſine præſenti quandoque vitæ diſcrimine collegit, aſſervavit, ſecumque in Europam reportavit *b*)

Rediit autem ad ſuos anno 1576. menſe Februario, in republica *Auguſtanâ* priſtini muneris ſubiens vices, & curando *Noſocomio* peſtilenti, pacto 100. florenorum annuo Honorario, præfectus; in quibus omnibus laboris, ſtudii, induſtriæ nihil in ſe deſiderari paſſus eſt. Sic fluxêre anni complures, usque dum anno 1588. incentore præcipuo Georgio *Mylio* triſtes de *Calendario Gregoriano* et de *Vocatione Miniſtrorum Verbi* motus Rempublicam turbavêre: in quibus *Noſter* Senatûs placitis obtemporare recuſans, unâ cum Adolpho *Occone*, de quo ſupra, à ſuo munere dimiſſus eſt. Unde propoſito honeſto ſtipendio, evo-

b) Vide mox laudatos Auctores.

vocatus *Lincium* migravit, Poliatri et *Ordinum* ırchiducatus *Austriaci* (*Bruckerus* habet, dubio rocul mendose: *Archiducum Austriæ*) Medici muere functurus. Tandem quà copiarum *superios Austriæ* Physicus in *Hungariam* descendit, et ı obsidione castri *Hatwan* dysenteria correptus, ıno 1606. vivis excessit.

His quidem fatis in vita sua usus est *Noster:* ı autem re de Republica litteraria optime meiit, quòd itineris sui laboribus pleni, pleni peclis, eruditos fructus cum eadem haud invidio- communicarit per sequens Opus: *Beschreibung r Reyss Leonhardi Rauwolffen Medici zu Augurg, so er gegen Auffgang in die Morgenländer, yriam, Judeam, Arabiam, Mesopotamiam, Baloniam, Assyriam, Armeniam, &c... selbst volacht, neben Vermeldung viel anderer selzsamer ıd denckwirdiger Sachen, die er auf solcher erindiget, gesehen und observirt hat.* in 4. *Francrt. III. Theil.* Apud *Christoph. Rabum.* 1582. Diıvit Jo. *Wildtholtzio*, Christoph. *Christelo*, & icol. *Bemero* propinquis et amicis erga se bene- :is. Est hæc Editio Operis *prima c)*, quam ox anno sequenti *altera* (mutato paululum tilo) consecuta est, *Lavingæ.* 1583. in 4. Sumpous Georg. *Willeri* Bibliopolæ *Augustani*, per Leoırd. *Reinmichel* impressa. Huic editioni adjecit *oster Partem IV.* complectentem iconas ligno cisas, 42. *plantarum exoticarum.* Hanc autem

c) Hanc editionem ego meis quidem vidi oculis. d *Seguierius*, mox noviter laudandus, citat etiam itionem *Lavinganam* supradicti anni 1582. Cui *primas* feram? Certe *Lavinganæ*, si tamen reipsa extat. Eam ıim nullibi, nisi in *Seguierio* potui reperire.

Partem IV. hortante Sebaſt. *Volmario*, Pharmacopeio *Eſlingenſi*, ducalis; *Horti Wirtembergici* Præfecto (cui antea ſemina exotica aliaque ſubmiſerat) â ſe vulgatam, conſecravit Conſtantino Paulo *Phrygioni*, & Oſwaldo *Gabelchovero*, Archiatris *Ludovici* Ducis *Wirtembergici*, â pueritia ſibi cognitis & evergetis ſuis.

Citant nonnulli Auctores latine ſcribentes *Noſtri* Opus titulo latino: *Hodoeporicon ſive Itinerarium Orientale &c.* Sed latine illud nunquam prodiit, ſaltem â *Noſtro*. Hinc, dum *quartam iſtius itineris partem, quæ continet plantarum Ægypticarum Syriacarum iconas, figuras et hiſtorias, latine exiviſſe cum Hiſtoriæ plantarum Lugdunenſis Appendice* Melchior *Adamus* aſſerit, hæſitanti ſuccurrit, remque optime extricat Jo. Franc. *Seguierius* in *Bibliotheca botanica p.* 156. monens: eaſdem plantarum iconas, quæ in editione Lavingana occurrunt, haberi etiam in Jac. DALECHAMPII *Hiſtoriæ plantarum Appendice*, *Lugduni*. 1587. procuſa. Permagna autem dicto *Itinerario* laus ex eo naſcitur, quod non ſolum Jo. *Schenckius* in Opere ſuo *Obſervationum medic. rar. et novar.* nonnulla ex illo transſcripſit; ſed etiam Nicol. *Staphorſtus* Anglus idem in *anglicam* linguam converterit: unde illud *Jo.* RAJI *Collectioni Itinerum*, *Londini* 1693. in 8. lingua *anglicâ* excuſæ acceſſit.

Sed ad *Partem IV.* revertor. Hanc, nil dubito, *Noſter* ex ſua *Collectione Herbarium* (Alii *Herbarium vivum* appellant) excerpſit. Qualis autem hæc *Collectio Herbarum* ſeu *Herbarium vivum* fuerit, explicat *Gunth. Chriſtoph.* SCHELHAMERUS

RUS in *Additamentis ad* CONRINGII *Introduct. in Art. medic.* sequentibus verbis:

„ Rauwolfii illius Collectionem Herbarum,
„ quam in peregrinationibus suis fecerat, in Pe-
„ demontano solo, Nizzæ, in Provincia circa Mas-
„ siliam, in Syria, ad montem Libanum, Anti-
„ libanum, per Arabiam, juxta Euphratem, in
„ Chaldæa, Assyria, Armenia, Mesopotamia (ita
„ enim titulus habet) annis 1573. 1574. 1575.
„ quatuor vastis libris, in quibus omnes plantæ
„ siccatæ nitidissime repositæ, apud celeberrimum
„ Virum Isaacum Vossium, Hagæ Comit. 1660.
„ fuisse, ibique a se visam nobis asseruit nobilis-
„ simus Vir, Henricus Meibomius, Collega no-
„ ster honorandus. Fuisse autem hæc præstan-
„ tissima Volumina, in electorali Bavarica biblio-
„ theca, asservata, ex ipso Vossio intellexit, qui
„ simul Paralipomena botanica quædam ope Ob-
„ servationum Rauwolfianarum scribere in animo
„ habuit, modo Didymum Alexandrinum de plan-
„ tis Ægypti manuscriptum Venetiis extantem
„ accepisset. Nondum id præstitit Vir doctissimus,
„ forte, quia voto apud Venetos excidit. Inte-
„ rim meretur, quantum conjicimus, totum opus
„ descriptis per Chalcographum plantarum figuris
„ edi; non parum enim lucis inde affulsurum rei
„ herbariæ veterum &c. &c. "

Laudant *Nostrum* Tobias *Coberus* in *Observ. Castrens. Dec. III. obs.* 3. *Freherus* in *Theatro Erudit. p.* 1288. *Adamus* supra memoratus in *Vit. Medic.* Joach. *Camerarius* in *Horto medico, p.* 19. *Schröeckius* in *Hyg. August.* Herman. *Conring* in *Introd. in Art. medic. Cap. X. p.* 305. Conferri quoque poterunt *Gesneri Epist. medicin. p.* 60. 68.

 69.

69. Jo. Franc. *Seguierius* in *Biblioth. botan. p.* 156. & Albert. *Hallerus* in *Præfat. de Scriptorib. Rei botan.* præmissa Operi botanico WEINMANNI, *Augustæ.* excuso.

Quamquam autem *Noster* in iis, quæ ad rem botanicam medicamque illustrandam scripsit, magnam laudem mereatur; in iis tamen, quæ *Itinerario* suo, discedens à suo instituto et in alienam messem mittens falcem, immiscuit theologica, plane vituperandus est. Unde ob inserta falsa et convitia in Ritus et Ordines catholicos â Jacobo *Gretsero* in *Opp. Tomo IV. P. II.* per totum *Caput IX.* vapulat.

GUTMANNUS (*Caspar*) patriâ *Constantiensis*, Medicus *Augustæ*, in adolescentia auditor celeberrimi in Academia *Tubingensi Professoris*, *Schegkii* fuit. Inde *Augustam* vocatus, antequam eò iret, anno 1575. die 3. Octobr. optimum epulum *Martino Crusio*, amicis & Collegis eius in Curia oppidi, ultimum *Vale* dicendi gratiâ, dedit. Hilaris in mensa *Crusius* vicissim *Nostro* Carmen græcum propempticum *a*) obtulit, inter alia canens:

Tam tu vir bonus es, tam veri castus amator,
Ut decet hunc, cui tam multos est Scheccius annos
Auditus - - - - - - -
Tu mihi semper eras bonus: herbas semper amanter
Monstrabas Theophrasteásque, Dioscoridísque.

Tum fausta quæque abeunti cum *Heilando*, *Hizlero*, & *Lieblero* (Professores erant *Tubingæ*) apprecatur. Addit, præclarè eum *Augustæ* Medicinam

a) V. CRUSII *Germano - Græciam*, p. 170. 179.

cinam fecisse. Contulit *Noster* symbolam suam ad *Pharmacopœam Augustanam*, in qua eius *steg-noticum multæ efficaciæ pulverem* connotatum reperiri docet *Luc.* SCHROECKIUS *b*) monens insuper, eum anno 1606. post mortem *Occonis III.* Vicarium *Collegii medici* creatum fuisse. Monumentum, *Gutmanni* memoriæ inserviens, habet *Daniel Praschius c*) his verbis:

CONDITORIUM
ANNÆ. MARIÆ. FILIÆ. DULCIS
CASPARIS. GUTMANNI
EIUSQ. HÆREDUM

b) In *Hygea Augustana*, *p*. 106.
c) In *Epitaph. August. T. II. p*. 13.

BERGERUS (*Simon*) *Augustanus*, quem tamen extra patriam Medicinam exercuisse credo, vulgavit *a*).

I. *Bericht von wunderbarlicher Kraft der Paeonien-Wurzel wider das Vergicht.* in 8. *Franckfurt.* 1599.

II. *Pest-Ordnung.* in 4. *Gera.* 1607.

III. *Catalogus nobilium Medicamentorum spagyrice præparatorum.* in 4. *Jenæ*, *apud Martinum Spiessium.* 1607.

a) Vide MANGETI *Biblioth. Scriptor. Medic.* et LIPENII *Biblioth. medic.* item *Hendreich Pandectæ Brandenburg. T. I.*

CÆSAR (*Theophilus*) deditus Alchymiæ, de quo, quæ connotata habebam, attuli in *Bibliothecæ* huius *Alphabeto II. p*. 33.

FAB-

FABRICIUS (*Hieronymus*) de quo vide in *Alphabeto III. p.* 10.

PEUTINGERUS (*Christophorus*) cujus paucis memini in *Alphabeto I. p.* 137.

HENISCHIUS (*Georgius*). Est, cur doleat litteratus Orbis, de *Henischio* multiplici doctrina instructo tam paucas, & infra Viri merita curtas extare notitias *a*); ut, nisi *Philipp. Jac. Crophius b*) de vita & lucubrationibus eius scripsisset, vix esset, quod proponi posset. Post hunc tentare libet, quà tenus progredi liceat.

Henischius Bartfeldiæ vel *Bartphæ* (ùt ipsemet vocat) oppido *Hungariæ*, anno 1549. ad diem 24. Aprilis primam lucem aspexit. De parentibus, familia, pueritia ac studiis eius nihil constat: nisi quod illum mature animum ad medicinæ præceptiones condiscendas adjecisse, vita sequens commonstret. Similiter latet, quibus fatis urgentibus *Augustam* venerit.

Acciderat autem, ut eo ipso tempore *Hieronymus Wolfius c*) Scholæ *Annæanæ* Ephorus, afflictæ valetudinis ergò, laborum succedaneo maximè indigeret: statueràntque insuper *Scholarchæ* eiusdem *Wolfii* suasu, præter *Græcæ Latinæ*que linguæ Professuram, aliam instituere, in qua *Logices*

a) Nonnulla de *Nostro* memorant Liber: *Beyträge zur critischen Historie der deutschen Sprache*; & Liber: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen.*

b) In *Historia* vernacula *Gymnasii Augustani ad S. Annam. p.* 168.

c) Huius merita litteraria fusè descripsi in *Alphabeto VII. Bibliothecæ* meæ *Augustanæ.*

giter atque *Matheseos* præcepta traderentur. Huic officio aptissimum *Henischium* credens *Wolfius*, haud dubie etiam Viri merita probius cognita & perspecta habens, *Scholarchis* eum anno 1575. verno tempore commendans obtulit: oblatum scholarchæ in annum unum acceptârunt, quasi inter illud temporis spatium doctrinæ, qua polleret *Noster*, periculum facturi. Durante probationis anno ita se gessit *Noster*, ut in consuetis Examinibus discipulos suos artis *Arithmeticæ* & *Geometricæ* præceptis exercitatissimos ostenderit, eâque re adstantes non solum voluptate maxima, sed & admiratione summa affecerit.

Anno itaque elapso *Wolfius*, bonæ caussæ confidens, *Henischium* rursus scholæ præsidibus scriptô *d*) commendavit his fere verbis usus: „ Scholam ab *Henischio* maximas utilitates spe„ rare posse, utpote qui doctrinâ supra ætatem „ (Erat tum annorum 26.) valeret, nec pri„ ma fronte præseferret, quantum in ipso esset. „ Hucusque eum singularem prudentiam in con„ versando, miram dexteritatem, fidem, diligen„ tiam in docendo ostendisse. Virum eum esse „ non *mathematicis* duntaxat disciplinis, sed etiam „ *hebraicæ* & *græcæ* Linguarum elementis, *Dia„ lectices* regulis &c. &c. tradendis parem. Ver„ bô, omnia ab ipso sperari licere. Promptum „ insuper esse, qui Reipublicæ operam suam „ in quinquennium addicat, si quidem annuum „ 200. — florenorum Honorarium sibi solvere„ tur. “

Hæc

d) Obtulit hoc scriptum *Wolfius* Scholarchis anno 1576. die 21. Januar.

Hæc *Wolfii* commendatio, ſimulque eruditio commendati *Heniſchii*, publicis comprobata experimentis, effecerunt; ut is anno 1576. Profeſſor *Logices* & *Matheſeos* in *Annœano* Gymnaſio declararetur: inſuperque ei injungeretur, eiusdem Scholæ curam cum *Hieronymo Wolfio*, quippe valetudinario, partiretur.

His geſtis *Baſileam* ſe contulit *Heniſchius*, ubi mox dicto anno 1576. die 12. Aprilis ſub Rectore *Simone Sulzero*, & *Theodoro Zwingero* Doctoris medici laurea redimiri ſe fecit. Inde *Auguſtam* redux, dato ad album Medicorum ibi degentium nomine, jatricæ artis faciendæ licentiam accepit; quam etiam etſi multis negotiis litteratis occuparetur, nunquam dimittens ad vitæ finem usque pari felicitate ac fama fecit. Præterea *Collegium medicum* ea maxime re plurimùm ſibi *Noſter* devinxit, quod *anno* 1609. *Actorum medicorum, cuncta Ordinem Machaonicum concernentia fideliter inſerens, initium condendorum fecerit labore non minus neceſſario & proficuo, quam etiam maxime laudando & ab omnibus, quibus præteriti temporis memoria in dubiis quandoque caſibus ſumme utilis non diſplicet, imitando e*).

Sic ſtabili ſede locatus eôdem annô (1576.) die quarta Junii *f*) Reginam *Wirſungiam* uxorem duxit, eaque re ſpectatiſſimis, quæ tum *Auguſtæ* florebant, familiis neceſſitudine conjunctus eſt. An conjugium hoc ſobole felix fauſtumque fuerit, nec ne; dicere non habuit *Crophius*. Ego tamen docente *Hoeſchelio* *) cognovi: filium ei fuiſ-

ſe,

e) V. *Schroeckii Hygeiam Auguſt*. p. 108.

f) *Cruſius* in *Annal. Suevic. ad hunc annum.*

*) In *Epiſtola* ad *Georg. Remum*, quam exhibuit

ſe, qui patre adhuc in vivis agente, circa annum 1617. *in Montepeſſulo defuncti Profeſſoris vicem ſubiit, usque dum alius ſurrogaretur;* & quem Cognati *muneri Profeſſoris in Altdorfina Academia deſtinaverant;* quod propoſitum an eventum habuerit, neſcio? Ceterum uxor *Heniſchii* noſtri, *Regina*, anno 1613. terrenis valedixit. Sed ad alia — Fluxerat quadriennium, ex quo *Heniſchius* muneri ſuo ſcholaſtico inſigni omnium in his rebus intelligentium cum laude, multaque Scholarcharum approbatione præerat; cum *Hieronymum Wolfium* mors anno 1580. vivorum e numero ſuſtulit. Quare Proceres *Auguſtani*, de doctrina *Heniſchii* atque ſollertia ſatis ſuperque re ipſa & factis edocti, haud alium virum, qui defuncti locum impleret, advocandum eſſe cenſuerunt; ſed *Georgio* noſtro, quam prius cum *Wolfio* diviſam habuerat, Gymnaſii curam jam omnem detulerunt. Ex eo igitur tempore uon ſolum *Matheſin* & *Logicam* ſed *hebraicam* quoque, *græcam*, & *latinam* Linguas g), ſimul ac *Rhetoricam* h) auditores docuit. Bibliothecæ etiam publicæ aliquamdiu Præfectum egit; dum multæ tum praxeos medicæ, tum officii ſcholaſtici occupationes permiſe-

in *Alphabeto VI. Biblioth. Auguſt. p.* 96. Vide etiam *ibidem*, *p.* 92.

g) V. *Crophium l. c. p.* 171.

h) Docet hoc ipſe in *Nuncupatoria* ad *Præceptiones rhetoricas* dicens: *Cum à V. A. huic officio præfectus eſſem, ut præter alias artes*, dicendi quoque rationem *in ſchola publice docerem, omnem meam curam atque operam in id contuli, ut & ſpartam, quam nactus ſum, ornarem maxime: & aditus ad hanc artem, qui paſſim inter ſe diverſi ſunt, iique ardui & difficiles, meis auditoribus faciliores & breviores patefacerem.* . .

miſerunt: unde illius, demum â *Noſtro* dimiſſæ, cura anno 1593. in *David. Hoeſchelium i)* translata fuit. Fungens autem Bibliothecarii munere *primus* integrum *Librorum* in illo ſcientiarum armario extantium, *Catalogum* confecit; de quo inferius ſermo redibit.

Haud ſatis habuit *Heniſchius*, multos ad optimarum artium cognitionem viva voce formaſſe: minusque beneficii litteratæ Reipublicæ præbiturum ſe credidit, niſi, quod ore præſtiterat, idipſum etiam ſcripto atque editis libris præſtitiſſet. Itaque ſollicite comparcens tempora, et horulas â triplicis officii (*Medici*, *Profeſſoris*, *Bibliothecarii*) curîs vacuas omnes corradens in variis Operibus ad juventutis ſtudioſæ utilitatem & profectum componendis ſeſe exercebat, id maxime propoſitum habens, ut Studioſos recto itinere, clariſſima methodo, atque ordine certo in Humanitatis penetralia duceret: quod ipſum in ſuis *Dedicationibus* & *Præfationibus* de ſe apertiſſime profitetur. Conſcripſit autem & alia plura uſui Virorum accommodata multo ſtudio, donec ætate et laboribus defeſſus, exiguo ante obitum tempore, muneribus hucusque adminiſtratis decedendi licentiam petiit, atque impetravit.

Vivendi finem fecit extinctus febri, die 31. Maji anno poſt Chriſtum natum 1618. ætatis 69. cùm annos 42. integros docuiſſet: totidem, et quod excurrit, in ſcribendis libris inſudâſſet: innumeros diſcipulos eruditione varia imbuiſſet: & inter primos unus linguæ *Germanicæ* puritatem cultumque debitum reſtituere ſtuduiſſet.

Ter-

i) V. *Biblioth.* meæ *Auguſt. Alphabetum VI. p.* 13.

Terræ mandatus est in cœmeterio ad *S. Stephani*, sequentî titulô additô:

Labore & Gratia Dei.

Gehört weil: H. Georgen Henisch, der Artzney Doctor und Mathematico, so allhie begraben ligt: und weil: Fraw Regina Wyrsingin seiner ehelichen Haußfrawen, baider seel: und ihren Erben und Nachkommen.

Vernaculi huius Epitaphii exilitatem *k*) Gentis *Hainzeliæ*, in perennanda Eruditorum *Augustanorum* fama studiosissimæ, pietas compensavit: dum Epitaphio *Hoescheliano* honoris ergò sequentia subscribi curavit:

GEORG. HENISH. MED. D.
DICENDI. ARTES. ET. MATHEM.
IN. SCHOLA. AUG. DOCUIT. A. XLII.
FIDELITER. FELICITER.
VIX. AN. LXIX.
OB. PRID. CAL. JUN. AN. MDCXVIII.

Multi Eruditorum præclaris elogiis *Nostrum* extulerunt. Lucas *Schroeckius l*) Virum vocat *non uno nomine celebrandum; quem & felicior in medendo solertia: & fructuosa studiosæ juventutis in Annæano Gymnasio, Matheseos fundamenta publice docendo, informatio: & utilissima variorum librorum, tum medicam artem, tum aliarum liberalium notitiam concernentium, in lucem emissio omnibus bonis ætate illa viventibus apprime commendaverat, & apud posteros etiam nunquam morituram famam conciliaverat.*

At-

k) V. *Praschii Epitaph. August. P. I. p.* 180. 297.
l) In *Hygeia Augustana*, *p.* 108.

Atque, ut ab universalibus ad particularia descendam; *Nostrum* inter claros *Medicos* recenset *Abrah. Mercklinus* in *Linden. renov. L. I. p.* 329. et *Jo. Jac. Mangetus* in *Biblioth. Scriptor. Medic.* aliique. In numero celebrium *Mathematicorum* reponit *Vossius* in *Libro de Scient. mathem. c.* 53. *p.* 323. Et quanta *Noster* (Quod ad hoc scientiæ genus attinet) nominis fama domi forisque fuerit, vel hoc unum evidentissime comprobat, quod narrare pergo. „ Cum *Gregorius XIII.* „ Pontifex summus *Calendarium* ab *Aloysio Lilio* „ emendatum in universam Ecclesiam invehere „ statuisset, & pars acatholica, nescio quid mali subverita, illud acceptare dubitaret, *Philippus Ludovicus Neoburgicus*, Comes palatinus „ Rheni, anno 1583. Senatum *Augustanum* per „ litteras adiit, non solum quid is de hac re sentiret, comperturus: sed etiam diserte postulans, „ ut *Henischius* noster, pro sua in Mathematicis „ peritia singulari, consuleretur. Ille hanc novationem minime absonam esse, *Consilio* litteris „ exarato demonstravit, quod Patres patriæ nil „ cunctati memorato Principi submiserunt *m*)." Intelligentissimum deinde in rebus *philologicis*, *philosophicis*, inque *litteratura humaniori* omni extitisse *Nostrum*, quid multis narrem? Sed nec linguarum, *græcæ*, *latinæ*, *hebraicæ*, peritiam quæ *Nostro* adfuit, fusius deprædicare necessum judico: cùm de his tum haud pauca *superius* jam dixerim: tum, quæ hôc locô affero, *Catalogus Operum* mox texendus mirifice confirmaturus sit. Itaque Scripta â *Nostro* extant sequentia:

I.

m) V. *Pauli à Stetten Histor. August.* vernaculam *T. I. p.* 569.

I. *Enchiridion Medicinæ, Medicamentorum tam simplicium quam compositorum in certos titulos distinctam Sylvam, continens. Basileæ.* 1573. in 8. apud *Petrum Pernam.* Ex *Nuncupatoria* data *Basileæ* anno memorato, Idibus Februarii, intelligimus: *Nostrum* Petro *Pernæ* auctorem fuisse, *ut hanc medicamentorum tam simplicium quam compositorum, in pharmacopoliis receptorum, Sylvam denuo excuderet; quòd eius Lutetiæ antea collectæ et impressæ exemplaria in his* (ut ait) *locis desiderentur.* Excusam autem à *Petro Perna* dicavit *Noster* Joanni Baroni *Kitliciano* Domino *Craini* ac *Drencaviæ*, qui studium medicinæ maxime adamabat.

II. ARETAEI *Cappadocis Aetiologica, Simeiotica, & Therapeutica morborum acutorum & diuturnorum græce et latine conjunctim edita, tribus MSS. Codd. Veneto, Bavarico, Augustano collatis, cum Commentario, quo obscura doctrina de nominibus & parte affecta morborum singulorum cum suis signis perspicua methodo illustratur. Aug Vind.* 1603. in fol. Sumptibus *Georgii Willeri*, apud *Davidem Francum.* Cum Insigni *Pinûs.* Dicavit Auctor *Quirino Rechlingero* & *Marco Velsero* Duûmviris, Senatuique *secretioris* Consilii. *Carminibus* præviis laudavêre Georg. *Remus*; Martin. *Holzapfelius* Medicus Augustanus; Franciscus *Cerutus* Veronensis. *Clement* in *Bibliotheque histor. & critiq.* de hac editione monet sequentia:

„ Quoique cette edition soit plus grande, & „ plus commode, que la precedente (*Editionem* „ Parisiensem *anni* 1554. *in* 8. *Apud Andr.* Tur- „ nebum *subaudit*) elle n' est ni si rare, ni si bon- „ ne. Elle est pleine des fautes, et les commen- „ taires de l' Editeur passent pour être de peu de

„ consequence. Il faut qu' elle soit bien rare en
„ Angleterre, puisque Jean WIGGAN ne l' a pas
„ pû trouver non plus que la precedente. El-
„ le contient le Texte grec, et la Version la-
„ tine vis-à-vis, ce qui la rend plus utile à ceux,
„ qui ne savent pas assez de Grec, pour lire l'
„ original sans le secours d' autrui. HENISCHIUS
„ y a conservé la Version, dont Junius Paulus CRAS-
„ SUS avoit deja fait imprimer une partie à Ve-
„ nise en 1552. in 4. et qu' il publia toute en-
„ tiere, ibid. en 1555. in 4. On a aussi inséré cet-
„ te version dans la Collection des *Princes des Me-*
„ *decins* imprimée chez Henri Estienne en 1567.
„ in fol. et dans celle, qui a vû le jour à Basle
„ chez Pierre Perna, en 1581. fol. *n*). "

Cen-

n) Gallica hæc latinè sic reddas: *Etsi Editio ista grandior & commodior sit, quam præcedens .... tamen nec tam rara nec tam bona est. Scatet enim mendis: & Commentarii Editoris minoris momenti esse creduntur. In Anglia infrequentem eam esse oportet, eoquod J. Wigganus neque hanc, neque præcedentem reperire potuit. Habet Editio ista Textum græcum, & Versionem è contrario positam: qua re illis utilior efficitur, qui græci sermonis minus gnari sunt, nec sine ope aliena Autographum legere nórunt. Henischius eam Versionem servandam sibi duxit, cuius partem Junius Paulus Crassus jam anno* 1552. *Venetiis, in* 4. *& postea integram ibidem anno* 1555. *in* 4. *vulgavit; quæ Versio etiam Collectioni sub titulo*: Principes Artis medicæ: *apud Henr. Stephanum.* 1567. *in fol. deinde* 1581. *in fol. Basileæ, apud Petrum Pernam excusæ, inserta fuit.* Errabit autem Lector, si quod *Clement* ait: *Wigganum editionem Henischianam in Anglia invenire haud potuisse*, strictè accipiat. Hoc enim si esset, exscribere Græcum Textum *Wiggano* haud licuisset. Quod tamen ipsemet à se factum esse testatur his

Centum & ultra post *Henischium* annis dedit *Aretæum* supradictus *Wigganus*, qui etsi satis inclementer *Henischianos* labores in *Præfatione* dijudicaverit: et *Kestnerus* in *Bibliothecà medica*, p. 96. 97. *Nostrum* parum gloriæ ex suo *Aretæo* consecutum esse confirmet; tamen *Hermannus Boerhaave* clarissimi per Europam nominis Vir, postremus *Aretæi* anno 1730. *Lugduni Batavorum.* in *fol.* Editor, laboribus *Nostri* passim usus est. Confer, si lubet, *Fabricii Biblioth. græc. L. IV. c.* 3. §. 7.

III. *Georg. Gemisthi Phletonis de Platonicæ atque Aristotelicæ Philosophiæ Differentia Libellus, ex græca lingua in latinam conversus. Cum Præfatione de Philosophiæ usu ad cognitionem rerum divinarum accommodata. Auctore Georg. Chariandro.* in 4. *Basileæ.* 1574. Sub nomine *Chariandri* latere *Nostrum*, docuit *Heumannus* in *Actis philosoph. Vol. II. pag.* 539. Sacravit *Noster Othmaro* Abbati *San-Gallensi;* primò quod, dàtis ad hunc Abbatem litteris, cognovisset *tanto eum Philosophiæ, præsertimque christianæ* (*qualis est Platonica*) *amore teneri: tantisque studiosos illius beneficiis prosequi, ut vere Mecænas eiusdem appellari possit;* deinde, *quod audivisset, eundem Abbatem locupletissimam omnis linguæ ac disciplinæ Scriptorum bibliothecam instruere undique conquisitis magna pecunia editis libris.*

his verbis: *Græcum Aretæi Exemplar cum apud Bibliopolas* (NB. Apud hos solos) *ne quidem unum reperiri potuisset; & pauca ea, quæ in privatis Bibliothecis erant, a Viris doctis pariter ac curiosis maximo in pretio haberentur, Græca hæc omnia, manu mea exscripta, prælo commisi.*

IV. *Institutionum dialecticarum Libri VII. & Repetitionum Libri II. brevi & perspicua methodo theoriam & praxin dialecticæ artis complectentes. Augustæ.* 1590. in 8. Apud *Michael. Manger.* Dicatum Senatui *Augustano* Opus, *publice* quidem (ut Auctor ait) *novitium*, *privatim* vero *antiquum*: cui præcedit *Successio continua veterum Dialecticorum à Pythagora*, ad sæculum usque XVI.

V. *Epitome Geographiæ veteris & novæ: et Pomponius Mela de Situ Orbis.* in 8. *Augustæ Vindel.* 1577. Apud *Michael Manger.* Opus *Noster* consecravit, *Octaviano Secundo*, & *Antonio* FUGGERIS.

VI. *Joann.* TZETZIS *Grammatici Scholia in Opera Hesiodi, interprete Georg. Henischio.* in 8. *Basileæ.* 1574. V. *Crophii Histor. Gymnas. Augustan. ad S. Annam, pag.* 174.

VII. *Hesiodus (græco-latinus) cum Commentario, quo artificium inventionis, dispositionis & elocutionis Hesiodeæ explicatur.* in 8. *Basileæ.* 1580. V. *Ehingeri Catalog. Biblioth. Augustan. pag.* 792. Confer *Catalog. Biblioth. Bünavianæ, T. I. P. I. p.* 71. Dicavit *Noster* Christophoro *Fuggero* editionem suam, quæ jam admodum infrequens est, et *Jo. Alb. Fabricio Biblioth. græc L. II. p.* 382. ignorata; etsi *Nostri* mentionem faciat, sed ad annum 1542. certissimo errore.

VIII. *De Numeratione multiplici vetere et recenti.* in 8. *Augustæ Vindel.* 1605. Typis *David. Franci.* Cum Insigni *Pinûs.* Dicavit *Noster* Jo. Carolo *Rehlingero*, Wolfgangi F. Adolescenti & Philosophiæ Studioso. Iterum in 4. 1645. *Augustæ*, si *Lipenio* in *Biblioth. philosoph. p.* 107. credendum est.

IX. *De Affe & partibus eius.* in 8. *Aug. Vindel.* Typis *Davidis Franci.* 1606. Cum Infigni *Pinûs.* Infcripfit Autor *Carolo Rehlingero D. in Burckwalden*, Judicii Auguftani Affeffori & Scholarchæ. Præfentem, uti & præcedentem Lucubrationem laudat FABRICIUS in *Abriß einer allgemeinen Hiftorie der Gelehrfamkeit. T. I. p.* 451. Infuper & *Typographæum*, ex quo ambæ prodiverunt, fatis eas commendat.

X. *Arithmetica perfecta & demonftrata.* in 4. *Aug. Vindel.* 1609. *Imprimebat David Franck.* Infcripfit Auctor illuftri Nomini *Philippi Eduardi Fuggeri*, mathematicarum difciplinarum amatoris præcipui; prout docui in *Alphabeto VII. Biblioth. Auguft.*

XI. *Præceptionum rhetoricarum Libri V. et Exercitationum Libri II. quibus, quidquid ad Rhetoricæ tum fcientiam tum ufum cumprimis pertinet, ordinatim & diftincte demonftratur. Aug. Vindel.* in 8. 1593. Ex officina *Michael. Manger.* Opus dicatum Senatui Auguftano; quod poftquam ei *Inftitutiones dialecticas* confecrâffet: ineptum vifum fit, eidem non item facrare *Præceptiones rhetoricas.* Nam *tantam* (ait) *ars rationis cum arte orationis cognationem habet, ut cui unam obtuleris, alteram quoque offerre debeas; nifi eruditionem mentis ab eruditione linguæ infcite feparâffe videri velis.* Præmifit Auctor *Seriem Oratorum & Rhetorum præcipuorum â Cadmo*, ad fæculum usque XVI. Libro Carmine latinô accinuit *Paulus Heidericus* Paftor ad *S. Crucem* Auguftæ, græcô *Dav. Hoefchelius.*

XII. *Præceptionum rhetoricarum Tabulis comprehenfarum Liber I. cui adjuncta Methodus docen-*

di & discendi Rhetoricam per praxin in uno exemplo. Adjectæ item aliquot Declamationes ex quatuor generibus caussarum. Aug. Vindel. 1613. V. *Ehingeri Catalog. Biblioth. Augustan. p.* 839.

XIII. *Tabulæ Institutionum astronomicarum. Accedit Sphæra Procli, græce & latine.* in 4. *Aug. Vindel.* Apud *Michael Manger.* 1575. Opus consecratum Senatui Augustano; ubi dicit: *Accedit & hæc, priori quidem non inferior, caussa; quod cum me nuper prælegendorum Mathematum in schola vestra muneri præfecissetis, observantiam & gratitudinem erga vos meam huius Libelli inscriptione ostendi, declararique posse judicavi....* Observavi in *Bibliotheca* Collegii quondam *Societatis Jesu, Augustæ.*

XIV. *Commentarius in Sphæram Procli Diadochi. Cui adjunctus est Computus ecclesiasticus cum Calendario & Prognostico tempestatum ex ortu & occasu stellarum.* in 4. *Typis Davidis Franci. Aug. Vindel.* 1609. V. *Crophium* l. c. et *Lipenium* in *Biblioth. philosoph. pag.* 241. Consecravit *Noster Marco Velsero* & *Jo. Jac. Remboldo* Duûmviris & Senatui secretiori, excurrens in laudem *Astronomiæ*, monensque se *Proclum* ante 33. annos, *Antecessorum* nomini inscriptum, à *Successorum* patrocinio avellere noluisse; multas autem novas observationes, demonstrationes, tabulásque addidisse, quibus usus *Astronomiæ* facilior & illustrior fieret. Operi præfixit tractatiunculam *de Propagatoribus Astronomiæ*, usque ad *Tychonem Brahe* Danum.

XV. *Thesaurus Linguæ & Sapientiæ Germanicæ: in quo vocabula omnia Germanica, tam rara quam communia, cum suis synonymis, derivatis,*

phra-

phrasibus, compositis, epithetis, proverbiis, antithetis continentur, & latine ex optimis quibusque Auctoribus redduntur &c. Adjectæ sunt quoque dictionibus plerisque Anglicæ, Bohemicæ, Gallicæ, Græcæ, Hebraicæ, Hispanicæ, Hungaricæ, Italicæ, Polonicæ. in folio. *Pars prima*, excurrens usque ad Litteram G. inclusive. *Augustæ Vindel.* Typis *David Franci.* 1616.

Dicavit *Noster* Archiducatus *Austriæ* supra & infra *Anasum* Ordinibus ac Statibus, multîs Linguæ *Germanicæ* prærogativas efferens: nec diu *alteram partem* se dilaturum spondens. Sed morte non ita multo post raptus promissa implere haud potuit. Applauserunt Operi *Georg. Remus*, Vir ipse perdoctus: & *Simon Toelmann Pomeranus.*

Dictionarium hoc, non vulgari sed etymologica methodo concinnatum, magna laude extollit *Eccardus* in *Histor. Stud. etymologici.* Sed et *Morhofius* in *Polyhistore litterar. L. IV. c.* 4. §. 8. suam de illo sententiam significantissimis verbis sequentibus satis exprimit: *Utinam totum prodiisset, usui certe haud contemnendo futurum &c.* Confer eundem *Morhofium T. I. L. I. c.* 21. §. 110. Vide etiam, si lubet, *Beyträge zur critischen Historie der deutschen Sprache. T. I. p.* 571.

XVI. *Bibliothecæ inclytæ Reipublicæ Augustanæ, utriusque tum græcæ tum latinæ, Librorum & impressorum & manu exaratorum Catalogus.* in *fol. oblongo. Augustæ Vindel. per Valentinum Schönigk. Anno Domini* 1600. iterum 1609. Hic Catalogus, etsi *Nostri* nomen haud præferat, tamen illius est. V. *Placcii Theatr. Anonym. n.* 1047. *Thesaurum bibliothecal. T. I. P. I. p.* 6. & alios.

Perpauca Exemplaria in manibus Eruditorum, extra patriam versantium reperiri, monuit *Reiserus*.

XVII. CONTARENI *Historia de Bello Selimi contra Venetos*. Hanc *Nostrum* in germanicum sermonem transtulisse, *Josias Simlerus* in *Bibliotheca* affirmat. *Petrus Perna impressit. Anno Domini.* 1573.

XVIII. *Commentarii in Ciceronis Rhetoricorum Libros IV.* in 8. *Augustæ* 1539. Ita quidem *Lipenius* in *Biblioth. philosoph. pag.* 643. sed cùm annus impressionis aperte falsus, & fors legendum sit 1593. hinc Opus, a *Lipenio* indicatum, haud aliud esse suspicor, quam id, quod *superius N. XI.* recensui.

XIX. *Critische Historie der deutschen Sprache.* Tribuit Nostro *Jöcherus* in *Gelehrtenlexicon*, sed fidem ei vix habeo, cum Scriptorum nullus de eo memoret.

MELICHIUS (*Georgius*) eruditus Pharmacopæus fuit, quem *Medicis* hactenus laudatis arctissima pharmaceuticæ artis cum re medica necessitudo ac nexus conjungere suadet. Patriam is habuit *Augustam*, sed *Venetiis* parandis medicamentis sub finem *sæculi XVI.* operam impendit. Scripsit lingua itala *a*).

Dispensatorium medicum, sive de recta Medicamentorum, quorum hodie usus est, parandorum ratione Commentarii, Medicis & Pharmacopoeis utilissimi. Ex italico in latinum sermonem conversum a Samuele Kellero Anhaltino in 4. *Witteber-*

a) V. MANGETI *Biblioth. Script. Medic.* CLESSII *Catalog. Librorum.* JOECHERN *Gelehrten - Lexicon.* GEORGI *Bücher - Lexicon.*

tebergæ 1586. iterum *ibidem* 1596. addito *Compendio Medicinæ practicæ Franc. Mar. de* TECTORIIS, *Urbinatis*. iterum *Francofurti* apud *Palthenium* in 12. 1601. iterum *ibidem*, in 8. adjecto *Antidotario Romano*. iterum *ibidem*, in 8. 1657. ſub titulo: *Armamentarium medicum*. iterum *Hafniæ*. 1682.

Quantus in re medicamentaria fuerit *Noſter*, ex *Dedicatione* Interpretis *Kelleri* cognoſcere licet, dicentis:

„ Noſtro hoc ſæculo cognovi, doctorum in Italia Virorum magno conſenſu omnibus aliis anteferri ſingulari judicio emendatas, multoque uſu & fructu feliciſſimo comprobatas Compoſitiones, à *Georg. Melichio* italico ſermone deſcriptas & editas. Qui natus Auguſtæ Vindelicorum, cum Italiam totam perluſtraſſet, tandem in urbe Veneta, myropolio ſub inſigni Struthiocameli inſtructo, tantum ſibi rectitudine judicii, induſtria & fide nomen comparavit & auctoritatem; ut & apud Medicos in honore fuerit atque exiſtimatione ſingulari, & a Collegis præcipuo loco habitus id meruerit, ut Trierarcho Veneto cum claſſe profecturo Pharmacopoeius decerneretur. Tam veterum quam recentiorum Scripta aſſiduo indefeſſoque ſtudio evolvit & excuſſit, deque controverſis rebus ſuperiorum & parium, qui frequenter officinam eius adire ſoliti ſunt, opiniones, rationes, et ſententias exquirere, collatione mutua, non deſtitit; donec erudito attentoque uſu, effectorum experientia & congruentia, atque conſenſione ſententiarum confirmatus, à ſe tum obſervata, tum explorate cognita in corpus redegit: quod typîs pub-

„ licum fecit, ut multis prodeſſet. Quantum illi
„ tribuerint Viri docti in arte medica, teſtantur
„ labores eruditiſſimi *Joann. Coſtæ*, & *Joann.*
„ *Moncii* Medicorum apud Venetos primi ac ce-
„ leberrimi nominis, quibus Avicennam & Me-
„ ſuen illuſtrarunt. Sæpe enim in Commentariis
„ ſuis *Melichii* meminerunt cum honorifica com-
„ mendatione induſtriæ ipſius, ſolertiæ, ſagacita-
„ tis, rerum peritiæ & exquiſitæ inprimis de dif-
„ ferentiis, viribus, & uſibus Simplicium cen-
„ ſuræ."

Huius præterea *Diſpenſatorii* laus inde cre-
ſcit, quod *Jo. Schenckius* eodem ad ſuum Opus
Obſervationum medicarum, rararum, novarum &c.
augendum uti minime dubitarit. Commendat illud
etiam Conringius in *Introduct. c.* 11. §. 12. dicens:
Longe melius eſt Diſpenſatorium Georg. Melichii phar-
macopolæ, medicamentorum componendorum peritiſ-
ſimi, in quo multa certe præclara continentur.

IATROLOGIÆ AUGUSTANÆ

SÆCULI XV. ET XVI.

FINIS.

II.

ILGER (*Prosper*)

Augustæ honestis parentibus natus, sacrum Ordinem *D. Benedicti* in *Elchingensi* prope *Ulmam*, Sueviæ civitatem cumprimis celebrem, monasterio amplexus, *Artium liberalium & Philosophiæ Magister*, *SS. Theologiæ & Juris utriusque Examinatus & Approbatus a)*, Vir doctissimus, & per totam late viciniam plurima eruditionis laude insignis, post tradita in suo cænobio Theologiæ placita, ad eadem in *Faucensi* ad Alpes Tyrolis ascetério tradenda ultro evocatus Typis evulgavit.

I. *Quæstiones theologicæ de Restitutione Fructuum: & Pænitentiæ Sacramento valido & informi.* in 8. 1751.

II. *Controversia canonistica de Obligatione Legis irritantis, una cum Exegesi Lég. ult. Cod.* de Fidei - Commissis. 8. 1754. *Lincii.* Opus posthumum.

Complura alia, quæ, celeri nimis morte in suo cœnobio occupatus, inedita post se relinquere coactus est Auctor, *manuscripta* asservantur in Bibliotheca *Elchingensis* monasterii. Obiit autem vita longiori quam maxime dignus anno reparatæ per Christum salutis 1753. ætatis vero 46. magno sui desiderio relicto *b*).

a) His honorum titulis insignitur in fronte Operum a se scriptorum.

b) Didici ista ex Litteris *Elchinga* ad me benevole missis.

MADER (*Wilhelmus*) Ord. Præmonstrat.

Patria *Augustanus*, schemate et habitu *Norbertinus* in Canonia *Rothensi*, haud minore probitate, quam doctrina præditus anno 1618. ab in-

insigni Abbate suo *Ludovico* LOCHERER *Archivarium*, uti & monasterii *Secretarium* agere jussus, nihil eorum omiserat, quae suarum esse partium videbantur. Verum ingruente bello Suecico, solum patrium mutare coactus, concessit ad monasterium *Fabariense*, ubi Religiosos juvenes humanioribus instruxit litteris, in exilio ibidem mortuus 1. Decembr. 1635. *a*).

Extat â *Nostro* sequens Opus:

I. *S. P. N.* NORBERTO *Ord. Præmonstratens. Fundatori, pietatis christianæ Instauratori, hæresum Domitori, nuper ingenti bonorum omnium lætitia Magdeburgi reperto, recepto, hodie summo Præmonstratensium plausu Pragam in montem Sion translato Cænobium* ROTHENSE . . . *hos Anagrammatismos panxit, pinxit, cecinit: hunc triumphum instituit.* Fr. *Wilhelmus* MADER, *eius cænobii Canonicus, concinnavit IV. Nonas Maii.* MDCXXVII. *Ravenspurgi. Typis Joann. Schreteri.* 8.

Fuit hæc ipsa, dies, qua translatio S. NORBERTI *Pragæ* celebrata est. Anagrammatismi sunt numero LV. ex sola voce: NORBERTUS, desumpti.

a) Ita verbatim de *Nostro* Liber: *Spiritus litterarius Norbertinus â scabiosis Casimiri* OUDINI *calumniis vindicatus &c. â RR. D.* GEORGIO *Abbate Roggenburgensi, Ord. Præmonstr.* 4.

SCHAAL (*Joannes*) Præpositus.

Günzburgensis Suevus, cum adolevisset, in cœnobio ad *S. Crucem*, Augustæ, Ordini *Canonicorum Regularium S. Augustini* se mancipavit. Fuit *S. R. E. Protonotarius*, annóque 1605. suæ

Ca-

Canoniæ *Præpositus*, ordine *vigesimus quartus*, electus est.

Fuit is ob congenitam animi generosi virtutem, ac mirandam gubernandi facultatem simul & experientiam, aliasque perplures corporis & animi dotes, non domesticis tantum, sed extraneis quoque, imo et Viris principibus, tum Ecclesiasticis tum Politicis, nunquam non acceptissimus. Fuit insuper disciplinæ canonicæ jugiter illibate conservandæ studiosissimus, item et decoris domûs Domini adaugendi semper amantissimus; unde et proprium suum *S. Crucis* templum, prius admodum obsoletum, mirifico splendore præclare satis imbuit; altaria in eo (quæ nova omnia fecit) rarissimis picturis exornavit; paramenta sacerdotalia oppido pretiosa quamplura magno satis ære comparavit; divorum Cœlitum lipsana thecis aureis argenteisque decenter inclusit. Quisquis Lectorum meorum de hoc cultûs divini amplificandi studio, quo *Noster* flagravit, plura sibi petit, adeat *Corb.*KHAMMII *Hierarch. August. P. III. Regul. pag.* 393. & 394. ubi etiam, quæ *Noster* belli *Suecici* tempore et tulit et fecit, fusse narrantur. Festum *SS. miraculosi Sacramenti*, injuria temporum aliquando neglectum, præstituto die 11. Maii quotannis solemni ritu de novo celebrari curavit. Pio huic instituto initium datum fuit anno 1635. quando *Joannes* ab exilio, in quod 1633. ob recusatum *juramentum*, Suecorum Regi præstandum, unacum *Canonicis* suis pergere compulsus fuerat, redivit Augustam, secum *SS. Sacramentum*, interea temporis in monasterio *Chiemseensi* asservatum, solemni pompa reportans; de quo (si lubet) consule KHAMMIUM *l. c.*

Pau-

Pauperes & egenos, funeſto graviſſimæ famis tempore, ſumma alimentorum penuria laborantes benigniſſime fovit ac ſuſtentavit.

Denique. poſtquam anno 1636. *Præpoſiti* dignitate ſpontanea *Reſignatione* deceſſerat, in monaſterium *Högelwerthanum* ſeſe recepit. Ibi reliquum vitæ, curîs omnibûs abſolutus, per annos fere quatuor transegit, usque dum in eo loco animam Creatori reddidit, pio fine extinctus, terræque mandatus anno 1640. die 29. Junii. Atque ex his corrigendi ſunt KHAMMIUS & Perilluſtris *Paulus à* STETTEN *ſenior:* quorum prior *l. c. pag.* 401. *Noſtrum* anno 1636. alter in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg. Tom. II. pag.* 1192. circa annum 1636. fatis deceſſiſſe, falſo monent.

Conferri *de Noſtro* meretur *Franciſcus Petri* in *Germania Canonico - Auguſtiniana a) pag.* 123. qui idem l. c. *pag.* 135. *Carmen heroicum* in laudem *Præpoſiti* noſtri digniſſimi a quodam familiari Poeta ſynchrono compoſitum affert; ex quo ſequentia excerpere libet:

„ Sic maximus ille tuorum
„ Ardor, quos placida ſemper moderaris habenâ.
„ Te Pater ipſe hominum, Divûmque æterna poteſtas
„ Mitibus ût primum auſpiciis ſuper alta locavit
„ Culmina, Virtutum quantas mox ſurgere moles
„ Vidimus: et quantos ſuper æthera creſcere muros?
„ Ipſa prior rerum facies ſua rudera triſti
„ Haud planxit luctu, ſed amæno pectore riſit;
„ Quid

a) Extat hæc in *Collectione Scriptorum Rerum hiſtorico - monaſtico - eccleſiaſticarum, Ulmæ.* fol. *Tom. III.*

„ Quid nî? Continuo resonare fabrilibus aër
„ Pulsibus occæpit: reparari prisca sacrorum
„ Limina: Numidico velari marmore tersum
„ Magna ex parte solum: paries ardentibus auro
„ Vestibus obduci: pictisque altaria formis
„ Cunctorum attonitos hominum suspendere vultus.
„ Quô nunc Cælicolûm statuæ, rerumque supellex
„ Sacrarum calamô poterunt: quo carmine dici?
„ Carmine dicuntur nullo, nulla arte canuntur.
„ Musas quid referam? Musæ, tibi magna voluptas
„ Præsul! - - - - - -

Certe non solum *Joannes* noster præstanti ipsus doctrina enituit; sed ut etiam juniores *Religiosi* eniterent, plurimum studuit. Ob eam caussam inter alia eosdem in Academiam *Dillinganam*, tum maxime florentem, misit: missosque studiorum subsidiis liberaliter instruxit; cuius rei testem satis idoneum habemus *Anastasium Vochetium*, mox a me inferiùs laudandum, Scriptorem synchronum & domesticum, in *Nuncupatoria* ad Librum suum: *Catholischer Heiligen - Pfleger*. 8. 1631.

De reliquo habetur a *Joanne Præposito* linguâ vernaculâ:

Spiegel eines recht geistlichen Lebens: *Speculum Vitæ Religiosæ*, *unacum eius elucidatione* ductum ex *Epistolis D. Pauli Tarsensis*. *Augustæ Vindelicorum*, apud *Chrysostomum Daberzhofer*. Anno 1611. in 8. Recusum *Ingolstadii*, apud *Joannem Ostermayr*. 1652. in 8.
Bibl. August. Alph. VIII.

Allegatur præterea nomen *Nostri* a RRmo *Francisco*, Præposito *Pollingano*, in *Elencho Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Augustini.*

* * *

Dignissimo Præposito *Joanni* adjungere libet quatuor eiusdem religiosi Collegii alumnos coætaneos: *Mayum*, *Pröllum*, *Laderum*, *Conum*, quos ante me à doctrina commendandos sibi sumpsit idem *Franciscus* PETRI *l. c.*

I.

MAIUS, veriori nomine MAY (*Hieronymus*) *Augustæ Vindelicæ* ex nobilissima et honorificis, quæ in Republica *Augustana* gessit, muneribus valde inclyta (Confer *Paul. à* STETTEN *seniorem* in *Geschichte der Reichs-Stadt Augspurg. Tom. II. p.* 12. 42. 504. 563. item *Paulum a* STETTEN *juniorem* in *Geschichte der adelichen Geschlechter von Augsburg. p.* 272. et *Davidem Langenmantel* in *Historie des Regiments der Reichs-Stadt Augsburg*) familia originem traxit. Patrem habuit *Bartholomæum*, matrem *Sybillam Remboldiam* connubiali fædere anno 1548. die 11. Julii invicem junctos, teste *Schellenbergero* in *Registro nuptiali.* Sacro fonte ablutus nomen *Bartholomæi* retulit. Adultus anno 1583. ad diem 29. Aprilis nobilem fæminam *Ursulam Velserinam* pervetusta apud *Augustanos* familia patritia oriundam in matrimonium duxit; ex qua septem filios, filias tres suscepit.

Filiæ Regulam *S. Benedicti*, in monasteriis *Holzensi*, *Hochenwartensi* et *Küebacensi*, omnes am-

amplexæ sunt. Ex filiis alius *Societatem Jesu*: alius Ordinem *S. Francisci*: alius Ordinem *Minorum Capucinorum*: alius Ordinem *S. Benedicti* ingressi sunt. Fuit hic posterior *P. Claudius*, postea Prior *Schyrensis* cœnobii sui factus, qui, multa anno 1633. a *Sueco* milite passus, demum 100. *Ducatis* sive *Aureis* redemptus fuit; uti *Pauli à* STETTEN *senior* ac *junior ll. cc.* monent.

Anno 1580. inter Senatores adscitus, longo exin tempore Rempublicam patriam salubribus consiliis juvit, civiumque utilitatibus pro virili invigilavit.

Anno 1607. (si *Schellenbergero l. c.* fidem habemus) suavissimæ uxoris obitu vinculô matrimoniali solutus, postquam ipse in sæculo annos undecim supervixisset, cuncta terrena fastidiens, spretis amplissimis honoribus atque opibus, Ordinem *Canonicorum Regularium* in patrio *S. Crucis* cœnobio amplexus, et exacto tyrocinii anno professus est, *Bartholomæi* nomen cum nomine *Hieronymi* commutans. Audiamus hac de re *Paul. à* STETTEN *seniorem l. c.* ad annum 1618. monentem: *Wenige Tage vor der gewöhnlichen Rathswahl ersuchte Bartholomæ May, ein Rathsherr von der mehreren Gesellschaft den Rath um seine Entlassung, und nahm hierauf in dem Closter zum H. Creuz den Augustiner-Orden an.* Consentit *Paulus à* STETTEN *junior l. c.* Sacerdotii dignitate ornatus, senioque confectus naturæ debitum solvit *Augustæ* die 3. Maji anno reparatæ salutis 1630.

Plura *Noster* Opera latine scripta juris Germanici fecit; prout testatur *Franc. Petri l. c.* ubi eadem, in Bibliotheca *S. Crucis* asservari monens,

enumerat: quod facere ego, brevitati studens, omitto.

Prædicatur quoque nomen *Nostri* a RRmo. *Francisco*, Præposito, *Pollingano*, in *Elencho onomastico Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Augustini.* V. MAJUS.

II.

„ *Sebastianus* PROELL, *Germanus*, in inferio„ri Bojaria *Eberspergæ* progenitus, Canonicus „ regularis *S. Augustini*, *Parochus* ac *Sub-Deca*„*nus* Monasterii *S. Crucis* Augustæ Vindelico„rum, ad quod anno 1625. 7. Jan. juvenis ac„cessit. Vir erat egregiis animi dotibus orna„tus, concionator egregius, adhæc Deiparæ cul„tui impense addictus, verbo: nihil in eo desi„derabatur, quod Religiosum hominem deceret. „ Fervebat porro in illo mira animarum maxime „ agonizantium sitis, queîs juvandis et ad por„tum æternæ beatitatis provehendis se totum „ impendit, nulli labori, nulli industriæ parcens. „ Diu noctuque lectulis ægrotantium ac mori„bundorum assidebat, illos quà consolando, quà „ adhortando, quà ad felicem e corporis ergastulo „ egressum disponendo; quem in finem plures „ libellos, dictis ac sententiis SS. Litterarum et SS. „ Patrum refertos collegit; quibus subinde ma„ximo animas agentium emolumento usus fue„rat. Quæ res ut *Augustanis* incolis innotuit, „ tantam nominis ei famam apud illos concilia„vit, ut omnes præsente ac cohortante *Nostro* „ mori optarent: nullus absente illo animam ef„flare vellet. Hinc vix civium quispiam ægro„tabat, quin non extemplo ad illum *P. Seba*„*stianus* accitus fuerit; non tam ut ex verbis,

quam

„ quam ex præſentia illius ſolamen caperent:
„ quod ille prompto alacrique animo ſemper præ-
„ ſtitit, omnibus omnia cum *Paulo* Tarſenſi eſ-
„ ſe cupiens *a*). Verum dum huic ſancto operi,
„ moribundisque, diuerſis morborum generibûs
„ infectis, juvandis totus inſudat, luem contra-
„ hit, lethalique morbo (febrim aridam vocant
„ Medici) corripitur, qui illum maximis ardori-
„ bus ac doloribus, mira tamen patientia ab ip-
„ ſo perpeſſis, affecit: demum Sacramentis rite
„ munitum cælo (uti pie ſperamus) mercedem
„ pro diurno in vineâ Domini ægrorumque
„ ſchola exantlato labore recepturum transmiſit
„ anno à partu virgineo 1650. ætatis 44. die 17.
„ Julii. Plures devotos libellos tum proprio Mar-
„ te compoſuit, tum ex SS. Patrum Operibus
„ collegit, qui omnes in Bibliotheca *S. Crucis*
„ Auguſtana MSS. aſſervantur."

Hactenus *Franciſcus* PETRI *l. c.* ubi *Manuſcripta* Noſtri tum *latina*, tum *germanica*, numero 35. fuſe exponit: quæ repetere hôc locô, tum quod mere aſcetica ſint, tum ut brevior ſim, nolo. Unum excipio Opus, quod *Noſter* typîs vulgavit:

Excubiæ ſpirituales. Vernaculè. *Auguſtæ Vindel.* Apud *Udalricum Schönigk*. 1644. in 8.

Nominatur etiam *Noſter* in RR. *Franciſci*, Præpoſiti *Pollingani*, *Elencho onomaſt. Scriptor. Ord. Cann. Regg. S. Auguſtini.*

a) Nemo hæc parvi deputabit, qui nôrit, quam triſtes, quam deplorandæ calamitates per illa tempora *Auguſtam* urbem infeſtârint.

III.

„ LADER (*Octavianus*) *Germanus*, *Aicha*
„ superioris *Bavariæ* civitate oriundus, Can. Reg.
„ *S. Augustini* Monasterii *S. Crucis Augustæ Vin-*
„ *delicorum*, ad quod juvenis anno 1612. acces-
„ sit. Erat vir non minus pietate, quam doctri-
„ na excellens, adhæc Musices peritissimus, un-
„ de pluribus annis choro musico *S. Crucis* præ-
„ fectus fuit. Anno 1646. cum copiæ militares
„ Regis *Suecorum Augustanam* urbem obsidione
„ premerent, ipse cum aliis militum insidias cru-
„ delitatesque declinaturus, *Augustâ* excedens in
„ *Tyrolim* venit, ubi in oppido quodam *Küzbi-*
„ *chel* dicto, non procul ab arce et urbe *Kopf-*
„ *stein* sito, ad vitæ terminum usque parochum
„ egit, quà concionando, quà sacra Fidei nostræ
„ rudimenta pueris puellisque tradendo, Sacra-
„ mentaque administrando; indefessus ac emeri-
„ tus in vinea Domini Operarius decessit *ibidem*,
„ phthysi confectus anno 1659. ætatis suæ 65.
„ die 14. Martii. Edidit vernaculâ linguâ:

„ *Historiam Miraculosi Sacramenti 463. annis*
„ *in Cœnobio S. Crucis Augustano Ord. Cann. Regg.*
„ *S. August. sanguinea carnis specie visibilis, con-*
„ *tinuisque miraculis coruscantis, nec non Elen-*
„ *chum Reliquiarum dicti Cœnobii in certas classes*
„ *digestarum, concinnéque æri incisarum. Augu-*
„ *stæ Vindelicorum*, typis *Andreæ Apergeri* Bib-
„ liothetæ, scalpente *Daniele Manassero* Chalco-
„ grapho Augustano. Anno 1625. in 4." *a*).

Hæc

a) Germanicus Titulus sic sonat: *Historia und Wunderzeichen des allerheiligsten wunderbarlich verwandelten Sacraments, so in dem hochlöbl. Gotteshauß beym H. Creuz* in

Hæc *Franciscus* PETRI in *Germania* sua *Canonico - Augustiniana a)*.

Laudatur etiam nomen *Nostri* in *RRmi. Francisci*, Præpositi *Pollingani, Elencho onomastico Scriptorum Ord. Cann. Regg. S. Augustini*. Scripti autem superius allegati meminit *Jo. Gottlob. Wilhelm* DUNCKEL *c*). Fusiorem illius recensionem exhibent Auctores libri: *Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen. T. XIX. pag.* 417. sed talem, qualem ab Acatholicis exspectes. Hallucinantur insuper in eo, quod *Nostrum*, alumnum *Ord. S. Francisci*, faciunt.

in Augspurg zu sehen, samt den HH. Reliquien, so wie man sie jährlich den XI. *Tag May dem Volck offentlich zeigt. Mit* 131. *Kupferstichen.*

b) Reperitur hæc in *Collectione Scriptorum Rerum historico - monastico - ecclesiasticarum. Tom. III.* quem vide *pag.* 138.

c) In Libro: *Historisch - critische Nachrichten. T. II. N.* 1378.

IV.

„ CONUS (*Franciscus*), *Neoburgensis* ad *Camlach* fluvium, *Suevus*, Canonicus Regularis „ *S. Augustini* ac *Decanus* Monasterii *S. Crucis*, „ *Augustæ Vindelicorum*, Vir pius ac religiosus, „ qui antequam in Decanum mense Augusto anno 1658. eligeretur, imprimis anno 1633. & „ 1634. *Theologiam moralem* in cathedrali Ecclesia „ *Chiemseensi* docuit, postea annis viginti et duobus *Procuratorem* dicti *S. Crucis* cœnobii sedulum ac proficuum egit. Viam universæ carnis „ ingressus est anno 1678. Scripsit Tractatum „ doctum

„ *De Sacramentis in genere et specie*, quem po-
„ tissimum ex operibus *Ægydii* CONINCK & *Pauli*
„ LAYMANNI. *Soc. Jesu* Theologorum collegit.
„ *MSStum.*"

Hucusque *Franciscus* PETRI in *Germania Canonico-Augustiniana*, *l. c.*

SCHEIDLIN (*Joannes de*)

IOANNES DE SCHEIDLIN *a*) natus est in celeberrima S. R. I. Civitate *Augusta Vindelicorum*, Musarum pariter, et omnium bonarum Artium sede. Parentem veneratus est de Patria meritissimum Dn. *Jo. Andream Scheidlin J. V. D.* antehac in Imperiali *Ravensspurgensium* urbe, per annos octo (et quod excurrit) *Syndicum*; deinde, postquam *Cancellariæ Augustanæ* aliquamdiu, ut Director ex parte acatholica, præfuerat, in eadem laudatissima urbe *Consiliarium*, nec non *Deputatum* ad *Comitia* Sueviæ *circularia*, atque *monetalia* splendidissimum: Matrem autem *Annam Barbaram Kochiam de Gailenbach*, Matronam venerandam. Optimi parentes hunc bonæ indolis Natum ad pietatem, nec non probati moris rectitudinem summa cura formaverunt: et, ut ingenium bonis litteris excoleretur, præstantissimis Viris, in illustri *Gymnasio*, ut et in *Collegio Annæano*, tradiderunt erudiendum, inter quos primum nominare oportet Dn. M. *Philippum Jacobum Crophium*, Poetam laureatum Cæsareum, Gymnasii Rectorem, et Bibliothecarium percelebrem, deinde Dn. *Thomam Reschium*, Classis quintæ Moderatorem stre-

a) De familia *Scheidlinorum* poterunt consuli *Seiffer Tabulæ genealogicæ*.

strenuum, nec non Dn. *M. Narcissum Raunerum, P. L. Caes.* laudati Collegii *Ephorum* emeritum, rudeque donatum. Ipse parens, licet negotiis atque curis publicis esset districtus, partem tamen informationis rarô exemplô in se suscepit, et ad *Geographiam* methodo *Hübneriana*, nec non ad studium *ethicum* et *politicum*, pariterque *juridicum* per expositionem *Institutionum* filium manu quasi duxit. Sic jactis in humaniori litteratura fundamentis, habitaque Oratione valedictoria, cuius argumentum erat *Sueviae Encomium*: visis etiam inclytis *Germaniae* Vniversitatibus *Tubingensi* et *Argentoratensi*, inque illis salutatis Professoribus celebrioribus, anno 1701. in Academiam se contulit *Salanam*. In hac ipsi primum arrisit doctrina Viri, non minori applausu, quam fructu tum profitentis Dn. *Jo. Philippi Treuneri*, SS. Theologiae Doctoris, Logices et Metaphysices Professoris dexterrimi, postea in Civitate Imperiali *Augustana* Evangelici Ministerii Senioris et Pastoris ad *Minoritarum* Templum: sub cuius informatione in *Logicis*, *Ethicis*, et *Politicis* multum se profecisse grato animo agnovit et depraedicavit. Post haec ad studium *Juris* animum applicuit, sectatus primum Dn. *Jo. Christianum Schröterum*, Professorem Juris famigeratissimum, Institutiones, *Jurisprudentiam*, et *Syntagma Juris Struviana*, *Schwederi* etiam *Jus publicum*, et *Desselii Jus canonicum* mira facilitate exponentem.

Audivit deinde docentem Magnificum Academiae Pro-Rectorem, Consiliarium, et Antecessorem Dn. *Jo. Bernardum Frisium*, dum Collegium *Logico-Topicum*, et *Institutionale* studiosis Juris aperuit. Caeterum etiam Dn. *Guilielmi*

 Hiero-

Hieronymi Bruckneri Lectionibus publicis ad *Pandectas*, et *Processum criminalem* interfuit. Optimo Imperatore LEOPOLDO, anno 1705. rebus humanis exempto, et in eius locum ad sceptra Imperii evecto, paternarum non minus provinciarum et regionum, quam virtutum Hærede, filio JOSEPHO I. amore et deliciis generis humani, *Noster* suarum partium esse ratus, devotissimi animi signa expromere, *Votivam Acclamationem* ad Cæsareæ Majestatis pedes humillime deposuit; quam summus in his terris Monarcha adeo non est aspernatus, ut potius pro nativa Clementia Austriaca *Comitivam Sacri Palatii* benignissime *Nostro* largiretur. Eodem anno cum parente, quem *Senatus Augustanus* ad Diætam monetalem trium correspondentium superiorum *Franconiæ*, *Bavariæ*, *Sueviæ*que Circulorum misit, *Ratisbonam* profectus, occasionem habuit, cum magni cuiusdam Principis Legato sermones subinde miscendi, atque ex *Actis* haud trita et vulgaria in usum futurum cognoscendi. Constituerat in illa urbe diutius morari; sed ob turbas *Bavaricas* coactus est discedere, unde ad *Salanas* reversus Musas frequentavit Lectiones celeberrimi Historiarum Professoris Dn. D. *Burcardi Gotthelfii Struvii*, *Historiam* et *Bibliothecam Juridicas* suas illustrantis. Audivit quoque Dn. *Joh. Henricum Ackerum*, *Eloquentiæ* præcepta et *Juris Naturalis* principia tradentem. . . . Nec minori voluptate adhæsit Hospiti suo charissimo, Dn. *Georgio Alberto Hambergero*, *Mathematum* et *Physices* Professori dexterrimo. Delectatus quoque est eruditis discursibus Dn. *Joh. Pauli Kressii*, quos habuit in ingeniosissimi Dni. D. *Thomasii*, Consilia-

rii

rii Regii, et *Hallensis* Antecessoris *Fundamenta juris Naturæ et Gentium.* Linguas *Italicam*, et *Gallicam*, in Aulis, et elegantiori conversatione familiares sibi reddidit perspectas, et horis subcisivis veluti παρεργον adjecit *Musicæ* studium. Hoc modo, sicut honoratissimi Parentis vestigia, virtutis et bonarum litterarum studiô, legit; ita in petendis summis Juris honoribus, paternum secutus exemplum, Facultatem juridicam decenter rogavit, ut ad consulta admitteretur Candidatorum Examina. Eo lubentius huic desiderio Proceres Academiæ assensum exhibuerunt, quo magis ipsius singularis modestia et vita bene acta omnibus cognita fuerat atque probata. Præstitit enim se in Examinibus talem, ut communibus suffragiis dignus judicatus sit, cui cathedra publica aperiretur ad edenda *Specimina inauguralia.* Igitur anno 1707. die 2. Augusti *de Confiscatione Bonorum in Delictis*, sub præsidio memorati D. *Guil. Hieron. Bruckneri*, cuius *Programma inaugurale* hactenus narratorum fidem adstruit, explicavit.

Exstat â *Nostro*

Dissertatio de Conventibus monetalibus S. R. I. trium superiorum correspondentium Circulorum Franconiæ, Bavariæ, Sueviæ &c. &c. 4. quam sub præsidio D. *Christiani Wildvogelii* &c &c. pro Licentia summos in utroque jure honores & privilegia doctoralia consequendi ad diem 31. Mens. Augusti M. DCC. VII. habuit. Præmittitur admonitio Præsidis *Wildvogelii*, in qua inter alia hæc leguntur: „ Cum excellentissimus parens „ tuus ob egregia in rempublicam merita maxi„ mam consecutus sit gloriam, teque ad idem „ virtutis iter calcandum . . non modo admonue-

rit

„ rit . . . sed & ad publicos Statuum, & Imperii
„ Circulorumque Conventus comitem secum ab-
„ duxerit; non potuit non mens tua, ad prae-
„ clara quaevis nata, igniculos primo ad similia
„ peragenda concipere, mox etiam laudabili ar-
„ dore accendi ad illa praestanda, queis Reipub-
„ licae patriae salus atque commodum promoveri
„ queat. Hinc de . . . *argumento monetali* . . . eru-
„ ditas theses ex vario Jure, Constitutionibus in-
„ primis imperatoriis, Circulorumque decretis
„ collectas conscribere, easque speciminis inau-
„ guralis loco proponere . . . tibi placuit. Harum
„ vero thesium Moderatorem genitor tuus me es-
„ se voluit, datis ob id ad me litteris . . . . cui
„ quidem desiderio eo lubentius gratificor, quo
„ magis indefessam tuam industriam in studio juri-
„ dico hucusque, me teste, exhibitam depraedi-
„ care necessum habeo; qua ipsa id quoque con-
„ secutus es, ut non solum inclytus ICtorum
„ ordo in hac *Salana* suprema in Jure axiomata
„ tibi decreverit, sed & summus Imperii Roma-
„ no - germanici Monarcha splendidissima *Comiti-*
„ *vae Palatinatus* dignitate temet . . . condecora-
„ rit &c. &c. "

Ceterum haec *Dissertatio* repetitis typis procu-
sa fuit annô 1735.

VOCHETIUS (*Anastasius*)

VOCHETII, Viri dignissimi, â Lexicographis turpiter praetermissi, memoriam ab hominum oblivione domestici duntaxat Scriptores vindicârunt, utì DANIEL *â V. Maria* in *Speculo Carmelit. p.* 1129. *n.* 3964. MARTIALIS *â S. Joanne Baptista* in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. p.* 195. MAXIMILIA-

NUS

NUS *à S. Josepho* in Libro: *Abhandlung vom Ursprung &c. des Ordens Mariæ vom Berg Carmelo. 4. Stadt am Hof.* 1747. RR^mus^ FRANCISCUS, Præpositus *Pollinganus*, in *Elencho onomasticô Scriptor. Ord. Cann. Regg. S. Augustini.* Quod Viri isti paucis præstiterunt, pluribus præstandum sibi censuerunt duo alii familiares Scriptores, videlicet *Franciscus* PETRI in *Germania Canonico-Augustiniana a)*: & Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ, Aurelianis.* in *folio* excusæ; qui Vitam *Nostri*, litterariosque Labores fusiori stylo conscriptos orbi erudito dederunt. Scilicet utriusque intererat, familiarem Scriptorem debitô mactare encomiô: meâ vero interest, municipi dignas persolvere laudes. Quapropter si ex his duobus Auctoribus promeritum *Nostro* elogium concinnare parem, addens, quæ â me ulterius observata sunt, Lectorum nullus id mihi vitio verterit.

VOCHETIUS natione *Germanus*, gente *Suevus*, patria *Mindelheimensis*, natus anno 1589. adolescens *b)* institutum *Canonicorum regularium S. Augustini* in *Augustano S. Crucis* Collegio & suscepit, &, rite posito tyrocinio, sese eidem nuncupatis sollennibus votis addixit. Hac ratione vitæ religiosæ ingressus semitam eos progressus fecit, ut mo-

a) Extat hæc (ut monui) in *Collect. Script. Rerum histor. monast. ecclesiast. Ulmæ. Tom. III.* ubi vide *p.* 137.

b) Cum in Dedicatione Libelli sui: *Catholischer Heiligen - Pfleger*, ad *Joannem* SCHAAL, Præpositum *S. Crucis*, *Augustæ*, data se *fluctibus sæculi huc illuc jactatum* ab hoc Præsule in illud *Cann. Regg.* Collegium admissum esse fateatur, id ante annum 1605. quô memoratus *Joannes* ad Præpositi dignitatem evectus fuit, fieri haud potuit.

morum suavitate, candore ingenii, modestia, disciplinae religiosae studio, zelo animarum, & ceteris, quae in Religiosum cadunt, virtutibus mire niteret. Cum vero pietati etiam doctrinam, omnemque tum sacram tum profanam eruditionem aptissimô vinculô conjunxisset, factum, ut & *Theologus*, et *Concionator*, & *Orator*, & *Poeta* apprime celebris, & doctrinae catholicae *Propugnator* insignis evaserit: uti testatum reliquit Auctor *Biblioth. Carmelit. Aurelianis.* Profecto apte admodum cum Novatoribus depugnasse *Vochetium*; Scripta eius polemica evidentissime commonstrant: feliciter quoque depugnasse, & labores pro asserenda veritate catholica susceptos optato exitu (plurium scilicet errantium ad fidem avitam conversione) compensatos fuisse, ipse *Noster* in *Dedicatione* Libelli sui: *Coena Domini sub una et utraque* &c. laetus monuit — Haec in transitu —

Atque in litterarum quidem laude *Vochetius* floruit quam maxime cultu latinae limataeque orationis: in concionibus ad populum habendis maxima facundiae fama: in paroecia *S. Crucis*, cui pluribus annis praefuit, administranda insigni zelo: in tyronibus sui monasterii praeceptis vitae asceticae instituendis aç sacris admonitionibus ad omne virtutis religiosae studium animandis indefessa industria & laboris assiduitate mira.

Sic dum suas partes agit & demandata sibi munera sedulo curat, incidunt tristia & *Germaniae* propemodum universae exitiosissima *Suecici* belli tempora; quibus, etiam *Augustam* urbem turbantibus, *Noster* pro juribus Ecclesiae & Monasterii sui cum *P. Davide Dirrhaimer* Procuratore, laudabili quidem sed inutili labore militans, tandem

unà

unà cum aliis & sui *Collegii*, & *Cleri* Augustani vix non universi urbe migrare adactus est *c*): cumque dubius hæreret, quò sese maxime reciperet, Deo gubernante *Weilhemium*, superioris *Bavariæ* civitatem, delatus, ibidem paroeciam *S. Hippolyti* per exilii sui tempus, annis 1633. & 1634. regendam suscepit, atque ita rexit, ut & cives *Nostro*, & *Noster* vicissim civibus in amore ac deliciis fuerit *d*). Hoste discedente, pacéque paulisper restituta domum reversus gloriæ divinæ amplificandæ, et saluti animarum promovendæ in *Ordine Canonicorum regularium* omnibus modis studere usque in annum 1640. perrexit; quo arctioris vitæ desiderio commotus, obtenta Superiorum venia, ad Religionem *B. Mariæ de monte Carmelo*, nuper à *S.* THERESIA *de Jesu* reformatam (*Discalceatos* vocant) se contulit, postquam inter *Canonicos regulares* annis 33. Deo serviisset *e*). Itaque *Monachium* à familiæ *Carmelitanæ* præsidibus missus, exacto ibidem novæ vitæ religiosæ tyrocinio, ei sacro Ordini sollenni votorum emissione sese obstrinxit, mutato pristino nomine, HI-

LA-

c) V. *Corb. Khammii Hierarch. August. P. I. Cathedr. p.* 634. 638. ubi etsi *Anastasius Vockhart* nominetur, tamen *Noster* est. Confer *Fleury Histor. eccles. T.* 59. *p.* 554.

d) Ita ipse de se in Libro suo: *Mariæ ausgebreiteter Schuzmantel.*

e) MAXIMILIANUS *à S. Josepho*, *l. c.* ait: VOCHETIUM annos ferme 34. in Ordine *Cann. Regg.* transegisse: quæ conciliari inter se ita poterunt, ut *Nostrum* annos 33. integros inter *Canonicos regulares* vixisse, annóque 34. vel ineunte, vel medio (paucis nondum completo) ad familiam *Discalceatorum* transivisse dicamus.

LARIUS *à S. Anastasio* appellatus. Hoc modo *Carmelitis discalceatis* additus, reliquum vitæ suæ tempus maxime *Viennæ*, *Austriæ* urbe principe (ut credibile fit) transegit. Eò certe a Superioribus ire iussus, cives pluribus annis publico è suggestu divini verbi pabulo pavit, & quibusvis charitatis officiis, raro divinæ gloriæ et animarum zelo, perdius ac pernox, præ frigore & æstu corpore quidem fatiscens, sed animo indefessus, adjuvit; ita tamen ut omnes *Actus Communitatis* (quos vocant) continua observantia, nullam unquam aut petens aut admittens dispensationem, ad ultimum usque frequentârit. Sic cum inter *Carmeli* severioris observantiæ asseclas annòs 16. vixisset, meritis & annis gravis, lenta febri (ex fervore concionis contracta) intra breve temporis spatium, ob prostratam senio naturam, et exhaustos pio studio vitales spiritus, consumptus animam suam in Fratrum suorum charo coetu, summa omnium ædificatione, Creatori suo reddidit, in Conventu *S. Mariæ de monte Carmelo*, *& S. Theresiæ f*) ùt pientissime vixerat, pientissime defunctus, relictis ad imitationem virtutum omnium exemplis, ad doctrinæ autem testificationem eruditis ac utilibus libris quamplurimis.

Ho-

f) *Nostrum* anno 1656. mense Junio ad plures abiisse tradit *Francisc.* PETRI in *Germania Canonico-Augustiniana.* Anno eodem, die 11. Junii obiisse volunt Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ*, & MAXIMILIANUS *à S. Josepho*. At obstat, quod *Noster* Dedicationi *Archimedis* sui *Christiani* diem adscribat *S. Theresiæ* festum, quod in 15. Octobris incidit, annumque 1656. Nescio quî componi ista inter se queant? nisi dicamus, mendum in annum emortualem apud citatos Auctores irrepsisse.

Horum alios vivens typis vulgavit, alios moriens manuscriptos posteritati transmisit. Alios, quà *Canonicus regularis*, rursus alios, quà *Carmelita discalceatus* conscripsit. Ego in illis recensendis potissimum *Francisci* PETRI & Auctoris *Bibliothecæ Carmelitanæ*, *Aurelianis* excusæ operâ utar: quorum posterior in enumerandis *Nostri* Operibus priori multo fusior (verum ob locorum distantiam, sermonisque germanici imperitiam non æque accuratus) secutus est *Schedas manuscriptas P.* PAULI *ab omnibus Sanctis* laudatas (ut addit) *Ludovico* JACOB in *Bibliotheca Carmelitana MSSta. pag.* 157. 158.

Itaque ut ab Operibus â *Nostro*, dum *Canonicus regularis* fuit, typo vulgatis exordium ducam, sunt illa, quæ sequuntur:

I. *Oratio de Cruce militari Ramiro I. Legionensium & Austriarum regi eiusque côpiis contra Mauros pugnantibus a S. Jacobo apostolo, è cælo lapso, cælitus ostensa.* in 4. *Augustæ Vindel.* Typis *Andreæ Aperger*, 1625. Orationi huic nomen suum non apposuit *Noster*; habuit autem illam nomine Præpositi & totius Conventûs *S. Crucis* in æde eiusdem cœnobii pridie Calendas Aprilis anno 1625. cùm *D. Marquardus* FUGGERUS *L. B. in Kirchberg &c.* Eques Ordinis *S. Jacobi de Espada*, eidem militari Ordini ritu publico aggregatus est.

II. *Gratulatoria Poësis heroico carmine scripta, dicata Excell. D. D. Marquardo* FUGGERO &c. *Ibidem.* 1625. Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ Nostro* adscribit:

III. *Camoena poetica vario carminis genere scripta & oblata Excell. D. Comiti Joanni Ernesto* FUGGERO, *cum in album Equitum S. Jacobi de Spada per solennem Professionem reciperetur. Ibidem.* Ita Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ.*

IV. *Fasten-Speiß, damit sich alle Abend der ganzen Fasten ein bußfertige Seel unter dem Miserere oder sonst nach Gelegenheit über Nacht ordentlich speissen und ihre Sünd büssen kann.* in 12. *Augspurg.* 1630. Apud. *Andream Aperger.*

V. *Coena Domini sub una & utraque: das ist, des Herrn Abendmahl unter einer und beyderley Gestalten, oder siben und dreyssig nuzliche, nothwendige Fragstuck ... was vom heiligen Sacrament des Altars ... unter einer und beyderley Gestalten .. zu wissen, zu glauben, und zu halten.* in 8. *Augspurg.* Apud *Andr. Aperger.* 1631. Dedicatio ad Cives nostræ urbis, *Augustanæ Confessioni* addictos, scripta est.

VI. *Neue Iahrs-Schankung, oder gründlicher Bericht, ... ob einer, der catholisch begehrt zu werden, sein Vatter, Mutter, Freundt und andere Uncatholische muß verfluchen und verdammen? 2. Ob ein solcher, daß er von seinen Lehrern und Predigern nie nichts guets gehört, und gelernet, müsse bekennen? 3. Ob die heiligste Jungfrau und Mutter Gottes Maria mehr und höher zu halten sey, als Gott selbsten? 4. Ob ein solcher, wie etliche vermeinen, von Gott abweichen und sein Seel in Gefahr der ewigen Seeligkeit sezen würde?* in 8. *Augspurg.* Apud *eundem.* Scripsit hoc Opusculum *Noster* ad tranquillandas Acatholicorum mentes, qui, cum redire ad catholicam veritatem vellent, a quibusdam illorum temporum hominibus, fal-

fissi-

ſſimis mox allatis objectionibus, perturbabanır.

VII. *Catholiſcher Heiligen-Pfleger, oder gründcker Bericht .... 1. Daß die Heiligen im Himel um unſer Thuen und Laſſen wohl wiſſen? 2. Wie ſolches und in wem ſie es wiſſen? 3. Daß es icht unrecht, weniger eine Abgötterey ſey, ſie 's Fürbitter anruefen und verehren. 4. Wie und ıf was vor eine Weiſ die Heilige Gottes anzuıefen und zu verehren? 5. Daß die Anruefung nd Fürbitt der Heiligen von catholiſchen ſowohl 's vielen uncatholiſchen Lehrern gebilliget und gut heiſſen werde. 6. Daß die Anruefung und Fürtt der Heiligen ihren Grund und Fundament in I. Schrift und Gottes-Wort habe.* in 8. *Augſpurg.* pud *eundem.* 1631. Dicavit hanc opellam *Noer Joanni* SCHAAL, Præpoſito ſuo, in grati anii pro acceptis beneficiis teſtimonium.

VIII. *Wohlverſichertes Gewiſſen: das iſt, langgehrte und jezt deutſch-gegebene gründliche Antort auf die unten geſezte zwo Fragen: ob ein Incatholiſcher mit guetem Gewiſſen die catholiſche irchen, Meſs, und Predig auf kayſerl... Befelch inne beſuechen, und denſelbigen beywohen? Item, ein Uncatholiſcher, der ſich mit einem geſchworn Ayd, nimmer... catholiſch zu werden, verlichtet, hindangeſezt dieſer Ayds-Pflicht, danıch möge mit gutem ſichern Gewiſſen zum cathoſchen Glauben ſich bequemmen?* in 8. *Augſpurg.* pud *eundem.* 1631.

IX. *Mariæ der Mutter Gottes ausgebreiteter chuzmantel, oder andüchtige Manier Mariam in hweren Zeiten anzuruefen. Anno* 1633. *und* 1634. *y St Hippolyten zu Weilheim.. gepredigt: nun*

aber .. practicè beschrieben &c. in 12. *Augspurg.* 1636. Dedicatio *Nostri* dirigitur ad Præfectum et Optimates Civitatis *Weilheimensis.*

X. *Tricesimus SS. Virgini Mariæ scriptus* germanicè. *Augustæ.* 1636. Hoc Opus *Nostro* tribuit Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ*, *Aurelianis* impressæ: item MAXIMILIANUS *à S. Josepho*, qui tamen illud ita recenset, ut dubium maneat, an non cum præcedente: *Mariæ &c. Schuzmantel*, junctim foras prodierit. Accuratius indagandi occasionem nactus inveni, *Tricesimum* mox dictum non accessisse præcedenti Operi. At videtur unum atque idem Opus esse, cum in præcedente Opere *triginta* modi, *Mariam* invocandi, tradantur.

XI. *Catechismus Poenitentiæ pro Confessione generali vel ordinaria instruenda. Germanice.* in 12. *Augustæ Vindel.* Hanc Lucubrationem *Nostro* adscribit Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* Vide inferius *N. XVI.*

XII. *Vetus Catholicorum Pietas erga Deiparam, piè hodie in Nostratium cordibus renovata.* in 12. Germanicè *Augustæ Vindel.* Apud *Andream Aperger.* Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* huius Opusculi mentionem facit.

XIII. *Thaumaturgus eucharisticus Augustanis Vindelicis divino munere concessus, sive de prodigiose mirabili Sacramento ad S. Crucem annis amplius quadringentis rubea carnis specie visendo Historia.* in 8. *Augustæ* 1637. Typis *Andreæ Aperger.* Dicavit *Noster* episcopo *Chiemseensi*, *Joanni Christophoro*, ut gratias eidem ageret pro benevolentia Canonicis *San-Crucianis* per belli *Suecici* tempora in exilium ejectis toto biennii spa-

tio

tio exhibita, præstitisque beneficiis. Meminit cum aliis Scriptoribus huius Libri *Augustinus* IMHOF, cuius ipsius merita in *Alphabeto II. Bibliothecæ* meæ *Augustanæ*, *p.* 72. celebrare non omisi, in *Præfat.* ad suum *Dilectum candido-rubicundum*, in laudes *Nostri* excurrens sequentibus verbis: *Latinis vero typis suum de prodigiose mirabili Sacramento ad S. Crucem Augustæ sub titulo*: Thaumaturgus eucharisticus, *Tractatum historicum publici juris fecit anno* 1637. *P. Anastasius* VOCHETIUS, *Vir indefesso animarum, divinæque gloriæ zelo difficillimis Suecicorum armorum temporibus ore & calamo strenuus, tam* Canonicæ *nostræ, quam* Carmelitanæ (*cuius ob arctioris instituti amorem exambitæ postremis vitæ annis Alumnus observantissimus, Ecclesiastes zelantissimus*, Archimedis christiani *Scriptor ferventissimus, demum non sine magna virtutis æstimatione decessit*) *Religionibus jure merito in honore habendus.*

Expositis jam Operibus, quæ *Noster*, quà *Canonicus regularis*, & *Augustæ*, procudi fecit, ordo exigit, ad ea enarranda pergere, quæ idem quà *Carmelita*, & *Viennæ* partem maximam, typis edidit. Sunt vero sequentia:

XIV. *Rechenschaft des alten catholischen wahren allein seligmachenden Glauben Catholischen sowohl als Uncatholischen zu allgemeinen Unterricht.* in 8. *Wienn*, apud *Matthæum Cosmerovium.* 1649. Huius Opusculi editionem aliam anni 1646. assignat Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* fors per errorem typi. Dedicatio â *Nostro* ad *Joann. Georg.* DIETMAYR *a Dietmansdorf* Consulem, et Senatum universum Civitatis *Viennensis* data est.

XV. *Catholische Kinderzucht, das ist, nutzlich und nothwendiger Unterricht, wie fromme Kinder gleich von ihrer Jugend an sollen in guten Tugenden unterrichtet werden.* in 8. *Wienn*, apud *Matthæum Cosmerovium.* 1650. Hoc ipsum Opus jam anno 1647. apud *eundem* prodivisse, vult Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ. Aurelianis.* Opus dicatum à *Nostro* iisdem Consulibus civitatis *Viennensis.*

XVI. *Catechismus Poenitentiæ*, ab Auctore recognitus & octies editus. in 8. *Viennæ.* 1650. Ita Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* qui scribere debuisset *nonies editus.* Titulus est; *Catechismus Poenitentiæ, das ist: dreyfacher Beichtspiegel, in welchem sowohl die, so eine Grund - oder General-Beicht . . zu thun vorhabens sind als auch die liebe Jugend, und andere, so monatlich oder öfters zu beichten pflegen, nuzlich unterwisen werden . . . jezt zum neuntenmahl in Druck gegeben.* 1650. *Wienn.* Vide superius *N. XI.*

XVII. *Antiquissima, Catholicæque Religionis Semita; das ist: Uralte recht - catholische Kirchen- und Glaubens - Strass &c.* in 12. *Wienn*, apud *Jacobum Kürner.* 1653. item *Coloniæ.* in 12. 1654. & *Argentorati.* in 12. teste *Mart.* LIPENIO *Bibl. theol. Tom. II. p.* 404. Dicavit hoc Opus *Noster Locumtenenti, Cancellario* ceterisque *Consiliariis* Regiminis *Austriæ inferioris*, eique adjecit duo sequentes *Tractatus*:

XVIII. *Perspicilia Catholicæ Veritatis, oder: Geistliche Augenspiegel recht - catholischer Wahrheit &c.* in 12. *Wienn*, apud *Jacobum Kürner.* 1653.

XIX. *Divisio lucis à tenebris, das ist: Tag- und Nacht - Blum, oder heller lichter Augenschein: daß der Artickel:* der Glaub allein, ohne alle gute Werck, mache seelig und gerecht vor Gott, *mit Gottes - Wort übereinstimme gleichwie Tag und Nacht, Liecht und Finsternuß &c.* in 12. *Wienn.* apud *Jacobum Kürner.* 1653. Aliam editionem anni 1654. *Coloniæ.* in 12. memorat. *Mart.* LIPENIUS in *Bibliotheca theolog. Tom. II. p.* 161.

XX. *Lucifuga Hæreticus, sive Nicodemi Vespersilio* (legendum *Vespertilio*) *ad lucem invincibilis veritatis catholicæ protractus.* in 12. *Viennæ.* Typis *Kürneri.* Germanicè. Ita Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ* sæpissime citatus.

XXI. *Comitia parthenica, sive nova Ratio SS. Deiparam coronâ 12. stellarum coronandi.* in 4. *Viennæ.* Apud *Jacobum Kürnerum.* 1653. Germanicè. Iterum Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* hoc testatur.

XXII. *Philocalia Mariana, sive Cultus practicus honorandi S. Deiparam Virginem.* in 12. *Viennæ.* 1653. Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c.* inter alia *Nostri* Opera annumerat. Fors nova tantum est editio Libelli superius *N. IX.* expositi: *Mariæ ausgebreiteter Schuzmantel.*

XXIII. *Promontorium bonæ spei, sive Ars bene moriendi, nova methodo explicata & in libros tres digesta. in* fol. *Viennæ,* per *Matthæum Cosmerovium.* 1655. Latinè. Rursus Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ &c. Nostro* adscribit.

XXIV. *Achates christianus, sive Conceptus prædicabiles, Missionariorum bona pro conversione Gentium scriptus. Viennæ.* Ita Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ.*

XXV. *Archimedes christianus, sive Speculum tripartitum novis veluti reverberationibus doctrinarum saluberrimarum fulgens, unde methodo perfacili Impedimenta, Incitamenta, Adjumenta ad artem bene beatéque moriendi rectius addiscendam tribus Voluminibus . . . repræsentantur. Opus novum & prima vice publici juris esse jussum.* in fol. *Viennæ.* Formis *Matthæi Cosmerovii.* 1656. Dedicatio à *Nostro* data est die festo *S. Theresiæ*, anno 1656. ad *Guilielmum* RECHBERGER *à Rechberg*, Philosoph. & Medicinæ Doctorem, Comitem Palatinum, *Ferdinandorum II. & III. Impp.* Archiatrum. Dedicationem sequuntur Variorum *Epigrammata* in laudem Operis scripta.

XXVI. *Libellus quodlibeticus Concionatorum usui accommodatus. Viennæ.* Sic testatur Auctor *Bibliothecæ Carmelitanæ.*

XXVII. *Carmen latinum in RRmi.* CARAMUELIS *Historiam Ven. P.* DOMINICI *a Jesu Maria*, quod præfigitur CARAMUELIS *Dominico*, teste Auctore *Bibliothecæ Carmelitanæ.*

Præter istas *typis exscriptas* Lucubrationes, alias *Noster* post se reliquit *manuscriptas*, quæ sunt ex testimonio Auctoris *Bibliothecæ Carmelitanæ* sequentes :

XXVIII. *Aphorismus Prælatorum asceticæ Disciplinæ componendæ vel restituendæ.*

XXIX. *Apicula Carmeli montis illustrissimas Bibliothecas pervolans et mel conficiens ex melioribus asceticæ doctrinæ.*

XXX. *Charontis cymba sceleratos & impoenitentes damnabiliter ad orcum vehens gratis absque naulo.*

XXXI. *Concionum sacrarum de Dominicis & Festis per annum Volumina plurima.*

*
* *

Liceat, me HILARIO adjungere alium Virum perdoctum, qui eodem ferme tempore, & in eadem religiosa familia vixit. Est is ANDREAS à *S. Theresia* patria *Augustanus*, ibidemque Ordinem *Discalceatorum* anno 1645. die 25. Octobris professus, Vir sacra eloquentia et doctrina celebris, *Monachii*, *Viennæ*, *Græcii*, imo *per æquora*

Hic, ubi fluctivagas Adria voluit aquas,

famâ prædicationis notissimus, avidéque auditus, dum de sacro suggestu dixit. Hic sermones complures, in variis Solennitatibus â se habitos, primitus dispersim linguâ vernaculâ publicavit, Principibus viris ac fæminis, aliisque Nobilibus dicatos: variis initio aut in fine ornatos carminibus, quibus se politioris litteraturæ peritissimum ostendit. Eos postea in unum corpus collectos multorum hortatu rursus edidit in *folio*. *Monachii*. 1679. consecratos *Jo. Christiano* Comiti in *Gradiska* hoc titulo: I. *Tugendreicher Blumen-Büschel, das ist, lobschuldige Ehren-Predigen von Christo dem Herrn, und den lieben Heiligen Gottes &c. &c.* cui editioni Auctores varii, hosque inter *Dominicus Franciscus* CALIN *de Marienberg* Eques auratus, Comes Palatinus & Historiographus cæsareus honorariis programmatis præluserunt. R. P. *Hippolytus* MARACCIUS *Ord. Cleric.* in sua *Polyanthea Mariana* narrat; hunc ANDREAM nostrum duo alia Volumina optimas con-

tinentia II. *Conciones* lingua vernacula congessisse, sed morte præreptum prælo subjicere nequivisse. Diem autem supremam clausit *Viennæ*, *Austriæ* metropoli, anno partæ salutis 1682. die 26. Junii, teste Libro: *Abhandlung vom Ursprung .. des Ordens Mariæ vom Berg Carmelo ... beschriben in Latein von Joann.* TRITHEMIO .. *anjezo .. herausgegeben von P. Fr.* MAXIMILIANO *a S. Joseph.* in 4. *Stadt am Hof.* 1747. *pag.* 131. Nullus dubito, quin ea quoque ad ANDREAM nostrum pertineant, quæ in *Bibliotheca Carmelitana* fol. *Aurelianis.* 1752. excusa, *p.* 98. leguntur: ANDREAS *à S. Theresia*, *natione Germanus*, *Carmelita discalceatus*, *Provinciæ SS. Sacramenti Theologus*, *edidit Germanico idiomate prænotatum Opus*: III. *Thiresias Monachiensis. Tubingæ.* 1667. 4. *ut constat ex Catalogo Francofurtensi*, *inquit Ludovicus* JACOB *in scheda MSS. ad suæ Bibliothecæ MSS. p.* 9. *affixa.*

WEIS (*Udalricus*)

Augustanus, anno 1713. Calendis Novembris primam lucem vidit, parentibus honestis sed minus claris editus. Patri sartorium opificium exercenti, *Petro*: matri, *Agneti* nomen fuit, qui filium in templo *SS. Udalrici & Afræ* sacro fonte ablutum, multâ curâ educare minime neglexerunt. Hinc factum, ut is, ubi puer evasit, & ætatem litteris addiscendis idoneam attigit, ob præclaras ingenii dotes, haud dubiis argumentis comprobatas, in patrium Athenæum missus fuerit. In eo solitô maiores progressus faciens, commilitones suos multis post se parasan-

gis

gis reliquit, adeo ut *Grammaticus* ex asse, *Poeta* natus, *Rhetor* excellens haberetur.

Studiis *Humanitatis* perfunctus, jam seria, de certo vitæ statu deligendo, cogitatione suscepta castra sequi *D. Benedicti* constituit: et *Ursinum* (Jrrsee) cænobium prope *Kaufburam* civitatem imperialem situm conferens sese, admitti in illud flagitavit. Explorata proin Candidati & vita & doctrina, Superiores & DD. Capitulares eundem, unanimi calculo in sacram familiam susceptum, ad vitæ religiosæ tyrocinium anno Christi 1728. vocaverunt: quô exactô *Noster* sub RR. Abbate *Wilibaldo Grindl* Idibus Novembris, die *omnibus sanctis Benedictinis* sacrata, anno 1729. sollenne trium Votorum sacramentum ad aram dixit.

Quemadmodum humaniora studia multa cum laude absolverat, ita ad altiora scandens, sub *Placido Linder*, postea ad obitum usque monasterii *Priore* dignissimo, & *Ruperto Häss* Professoribus placita *Philosophiæ*, *Theologiæ*, ac *Jurisprudentiæ* majoris etiam cum diligentiæ ac scientiæ laude addidicit: et sacrîs initiatus Ordinibûs, anno 1736. die, quo Ecclesia festum *Virginis in templo præsentatæ* celebrat, primum Deo O. M. sacrificium obtulit.

In *Universitatem* autem *Salisburgensem* missus, *Artium liberalium* & *Philosophiæ Doctoris* insignia suscepit: partasque diversarum Scientiarum, præcipue cognitionum mathematicarum divitias, in monasterium reversus, quasi opulenta ê gaza deprompsit.

Ibi anno 1738. Philosophiam; Mathesin, item Theologiam Fratres professos docere â Superiori-

bus

bus jussus partes suas optime implevit, sagaciorum litterarum *Ursinii* auspicator eximius; philosophus sobrius; naturæ arcanorum indagator sedulus; juris patrii informator exactus &c.

Nequaquam vero intra domesticos parietes fama *Nostri* stetit, sed latius diffussa effecit, ut anno 1744. Vir eruditissimus *Anselmus Desing, Salisburgo Ursinum* delatus, *Nostrum* sibi expeteret, itineris in *Bohemiam* faciendi comitem, & Reformationis studiorum inibi suscipiendæ adjutorem futurum. Igitur veniâ â Superioribus impetratâ *Noster* cum memorato *Desingio*, ac *Oliverio Legipontio* Ord. S. Benedicti Professo & ad *S. Pantaleonem Coloniæ* Capitulari, anno 1744. *Pragam* tetendit.

Atque hoc in loco binos Viros istos, quos modo nominavi, tum verior vastaque eruditio, quâ pollebant, tum fama litterîs parta illaudatos dimittere plane vetant; eo magis, quod Lector benevolus admonendus omnino videatur, quantum *Nostro* honoris ex illorum societate & judicio accedat: quippe qui *Udalricum* præ aliis dignum censuerint, quem in litteratorum laborum consortium sibi jungerent. Certe *Desingius*, Ord. S. Benedicti, Cænobita *Ensdorfensis* quam divite litteraria penu instructus esset, plurimis *Libris* in publicum emissis apertissime ostendit; quibus *Ascesin*, deinde & studia profana *Arithmeticam*, *Geometriam*, *Poeticam*, *Philosophiam*, *Jus Naturæ & Gentium*, *Auctores classicos*, & *Historiam* ecclesiasticam ac civilem illustravit, atque ita illustravit; ut Operum â se scriptorum plura, publici commodi gratiâ, repetitis subjici typis viderit. Longis docendi, multis scribendi laboribus

in Lycæo *Frisingensi*, in Universitate *Salisburgensi*, alibique perfunctus, demum suffragantibus meritis in Prælatum monasterii sui electus, ad vitæ finem usque abbatiali dignitate refulsit. Confer ADELUNGIUM, *l. c.* *Legipontius* itidem plura Opera tum procusa typis, tum manu exarata, eaque optimæ notæ, ceu totidem sollertiæ atque doctrinæ suæ nequaquam vulgaris testimonia relinquens, insignem sese *Philologum*, studii *numismatici* peritum, artis *musicæ* & *diplomaticæ* pergnarum, in *Historia Conciliorum*, *ecclesiastica* Coloniensis Ecclesiæ, *Monasteriorum* Ordinis Benedictini, nec non *litteraria* eiusdem sacræ familiæ elucidanda, debitisque documentis ac vetustis chartis firmanda industriosissimum se comprobavit *a*). Variis in vita jactatus casibus demum *Treviris*, in Abbatia *S. Maximini* anno 1758. mense Junio diem oppetiit suum. — Ab eruditis Sodalibus ad *Nostrum* redeo —

Mansit is unius duntaxat anni spatio *Pragæ*; quod diutius ibi morari, per Martis *Borussici* & *Austriaco - Bavarici* terrores, haud tutum esse videbatur. Sic Bellona Palladem profligante, ad suos lares regredi compulsus, denuo Professoris ac studiorum Moderatoris vices subivit, et conscribendo Opere: *De Emendatione Intellectûs humani* sese occupavit, quod demum anno 1747. foras produxit — Sed de hoc postea — Consequens annus (1748.) maximam *Nostro b*) volup-

a) Plura de hac Eruditorum Biga dabit curioso Lectori *Historia litteraria Ord. S. Benedicti*, præcipue in *Tomo IV*.

b) Ita testatur *G. G. Zapf* in *Litterarische Reise in einen Theil von Baiern, Franken und Schwaben. p.* 49. 51.

luptatem, plurimúmque honoris contulit; quando Eminentissimus & Doctissimus Cardinalis *Angelus Maria Quirinus*, excursione in Sueviæ partes facta, *Ursinum* delatus, de omni litteratura cum *Nostro* multo sermone garrivit: eúmque non solum ad prosequenda studia sua animavit, sed etiam ad caussam suam adversus *Fortunatum à Brixia* (Hic interea temporis Opus *de Emendatione Intellectûs &c.* edito Scripto impugnârat) defendendam cohortatus fuit — Sed & de hoc postea —

Præterea *Noster* curam parochiæ *Ursinensis* aliquando temporis spatio gessit, plebem sibi commissam ad veram solidamque vitæ probitatem studiose conformans: in quem finem, tum quidem novô, nunc autem per varia loca satis receptô, institutô *Missam* (ut aiunt) *germanicam* rythmis, multasque alias Cantiones ecclesiasticas, â populo non sine multo pietatis sensu decantari solitas conscripsit *c*).

Ast nova rursus vocatio *Udalricum* monasterii sui parietes linquere compulit. Etenim RR. *D. Dominicus Schnizer* Abbas *Weingartensis*, datis ad Abbatem *Nostri* RRmum. *D. Bernardum Beck* litteris, *Udalricum* sibi postulârat, ut is in Prioratu *Hafensi* (Est hic monasterio *Weingartensi* incorporatus, ùt aiunt) ad lacum Acronianum sito junioribus Patribus *Matheseos* traderet elementa. Illò itaque dimissus *Noster* vix annum compleverat; cùm, ægritudine correptus, ad monasterium suum redire, curandæ valetudinis caussâ, adigitur. Ibi sanitatem sibi redituram frustra sperans, per quinquennii spatium cellæ affixus hæsit,

c) G. G. *Zapf*, l. c. p. 51. 52.

sit, non quidem otiosus, sed pluribus opusculis scribendis intentus; donec inopinata tactus apoplexia vitae huius mortalis cursum consummavit anno 1763. pridie Nonas Junii, aetatis 50. vitae religiosae 34.

Cum Eruditorum pluribus, nominatim cum *Jacobo Bruckero*, in fronte huius *Alphabeti* â me laudato *) commercium litterarium *Noster* aluit: quod eo mortuo distractum interiit *d*). Multa scribere secum instituerat, uti *Philosophiam Ursinensem*, de quo infra mentio recurret: *Tractatum de Praejudicio Religionis in rebus philosophicis*: et alia, quorum non nisi fragmenta, celeri nimis fato raptus, post se reliquit. Quae vero typîs vulgavit, sunt sequentia:

I. *Liber de Emendatione Intellectûs humani, in duas Partes digestus, veram operationum omnium Intellectûs theoriam, tum earundem directionem solide edisserens.* in 4. *Typis Christiani Starck Kaufburani.* 1747. In *Nuncupatoria*, data ad *Josephum* ex *Landgraviis Hassiae*, Episcopum *Augustanum*, promisit *Noster* litterato orbi aliud Opus, sub

*) Recurrens hôc locô mentio de *Bruckero* monendi Lectoris occasionem valde opportunam praebet: *Scriptoribus* quoque *Historiae litterariae Ord. S. Benedicti*, *T. II. p.* 282. utut â sobria studii philosophici reformatione nequaquam alienis, tamen haud ex toto placuisse eius Viri *Historiam Philosophiae* Germanice editam, illosque aperte profiteri: *se ea omnia, quibus in scholasticam cum Philosophiam tum Theologiam, atque in Opera philosophica â nonnullis Benedictinis edita iniquior esse videtur, suo confirmare calculo nolle.*

d) *G. G. Zapf. l. c. p.* 52. ubi addit, possidere se *duas Epistolas* & *Fragmentum tertiae* cuiusdam â *Bruckero* ad *Nostrum* scriptas; quas mihi petenti renunciari fecit: nescire se, ubi lateant, aut quò devenerint.

ſub titulo: *Philoſophia Urſinenſis*; quod tamen, Auctore vivis citius erepto, lucem non vidit.

Librum autem *de Emendatione Intellectûs &c.* quæ Cenſuræ, quæ fata ſubſecuta fuerint, ex dicendis intelliget, Lector! *Eruditi Lipſienſes* in *Actis* ſuis *ad annum* 1748. hoc ei elogium ſcripſerunt: *Opus ſane eximium de Auctoris ſolida doctrina, cum in Philoſophia antiquiori tum recentiori, luculenter teſtatur. Prouti é re viſum, nunc antiquiorum nunc recentiorum Philoſophorum ſequitur placita, nec profecto ſine delectu. Ea, quæ ſunt multis preſſa difficultatibus, acute diſquiruntur: novæ ſæpius animadverſiones adduntur: et, quæ veritati ſunt congrua, non multitudine ſed vi argumentorum corroborantur. Nec cæco (ut perquam multis hodie moris eſt) recentioris* Philoſophiæ Wolfianæ *præcepta arripit impetu; ſed præmiſſo examine ea ſolum tradit, quæ ad veritatem proxime accedunt. Multis in locis dogmata dilucidius exponuntur, & novis ſtabiliuntur argumentandi modis. Hinc non ſine ratione licet ſuſpicari, fore, ut et alii Romanæ Eccleſiæ addicti ad propagandam veritatem idem efficiant, & hunc de ſolidiori doctrina bene meritum Virum in limitibus Philoſophiæ dilatandis ſectentur.* His præmiſſis recenſent memorati *Eruditi* Opus ipſum per *Partes* & *Capita* ſtudioſe, ac demum his finiunt: *Ex animo precamur, ut Deus noſtri Auctoris vitam et vires conſervet, ut hoc tam laudabile propoſitum feliciter poſſit perficere: & Orbis litteratus, hoc Opere delectatus, eandem ex* reliquis Philoſophiæ, *quam Benedictinus noſter moliri ſe, non obſcuris verbis ſignificavit,* Partibus *capiat voluptatem.*

Fu-

Fuse etiam de isto Opere agit *Historia litteraria Ord. S. Benedicti*, *T. II. p.* 288. *seqq.* quæ, postquam de *Andrea Gordono* Benedictino Scoto, Philosophiæ Doctore ac Professore publico in Universitate *Erfurtensi* disseruerat, hæc subjungit:

„ Cl. *Gordoni* vestigia hodie premit alius Be-
„ nedictinus Philosophus sine epomide & pallio;
„ his tamen in quovis Athenæo vel Academia
„ minimè indignus. Is est R. P. *Udalricus Weis*,
„ Ursini, Imperialis Sueviæ monasterii Professus,
„ & Studiorum Director, qui Opus philosophi-
„ cum *De Emendatione Intellectûs Humani*, om-
„ nibus ferè doctis majorem in modum laudatum,
„ juris publici fecit anno 1747. Docuerat ille
„ paucis ante annis in sui monasterii schola no-
„ viorem Philosophiam, ubi ipsi nihil metuen-
„ dum, nihil cavendum erat à Scholasticorum
„ æmulatione, livore, & invidia. At cùm in-
„ stauratio litterarum, domi suæ feliciter & ten-
„ tata & suscepta, in Philosophica Gente strepi-
„ tum & tumultum excitâsset, cautiori pede in-
„ cedendum sibi esse putavit. Tacito multorum
„ murmure vapulavit, quòd veterem illam & stri-
„ gosam philosophandi methodum in contemptu
„ ponat, multíque, qui Peripatetico veterno aut
„ lethargo decubuerunt, ne quidem operæ pre-
„ tium existimârunt, defæcatius philosophandi
„ genus ponderare; sed satis habuerunt, ut in-
„ scito clamore illi obgannirent, atque ceu rei
„ novitiæ obloquerentur. Noster verò Philoso-
„ phus suâ parùm interesse existimavit; è re ta-
„ men esse putavit, obloquentia ora opprimere,

„ ut ne aliis noxio ſint exemplo, vel melioris gu-
„ ſtûs ingenia porro in ſequiora ſeducant, &
„ corrumpant. Adverſarios ſuos in claſſes diſpe-
„ ſcuit, atque ut omnia eorum præjudicia è me-
„ dio tolleret, non tam ſerram contentionis cum
„ illis reciprocare, quàm ab omnibus ſe expe-
„ dire ſtatuit, opponendo illis accuratum Opus
„ *De Emendatione Humani Intellectûs*; quod inſtar
„ Logicæ ſatis perfectæ, ſolidæque ſervire po-
„ teſt illis, quos & antiquæ doctrinæ myſteria,
„ pretiúmque non neſcire intereſt, & ad peni-
„ tam rerum cognitionem regiâ viâ eniti, diri-
„ gique. Quo etiam Opere nemo niſi hebes in-
„ genio non intelligit, Authorem & ſcholaſti-
„ carum rerum minimè eſſe rudem, & porro
„ idem ſaxum volvere non cogitare. Quod ve-
„ rò nonnunquam acriùs ferulam, rerum indig-
„ nitate fortè concitatam, ſtrinxerit, bilem ne-
„ mini ciere debet, cùm non tam Philoſophos,
„ quàm Philoſophiam ipſam tam plauſibilem in-
„ ſectetur, nec ullus tam immodeſtas impoten-
„ tésque criſes in ejus Opere reperiet, qualium
„ exempla in mutuis Scholaſticorum conflictibus
„ legere eſt. Venerationi ſunt Authori egregii
„ Philoſophiæ ſcholaſticæ Promachi & Optimates,
„ neque non ſcit Scholaſticorum multorum in
„ accuratam naturæ cognitionem merita, qui ab
„ antiqua methodo aperte deficere religioni ſibi
„ ducentes eam cum nova confœderare, atque
„ componere moliti ſunt, Philoſophi cœteroquin
„ inſignes. At vulgaris illa, quæ tum in dome-
„ ſticis viget, tum publicis etiam ut pluri-
„ mùm Athenæis, quæ per Germaniam ſacri

„ ple-

„ plerumque homines moderantur, ſapiendi ra-
„ tio longè ab illorum ſtudiis abeſt, & abhorret."
Utinam verò, exclamat Author, *utinam Opus iſtud, reliquorum prodromus, in eum finem, in quem finem ſcriptum eſt, nonnihil proficiat, & ad ſeria magis ſtudia exploſis ſterilibus, nimis metaphyſicis, nimis vocabulariis illis, ſalivam moveat, & cieat orexin! Utinam Ordo ſaltem noſter ſacerrimus, ſacríque Patresfamilias etiamnum in tempore elegantiores has litteras denique ſuis civitatibus donent, ſicque avitam in re litteraria gloriam Majorum noſtrorum induſtriâ partam recuperet Gens Benedictina, ut quas, barbarie quondam dominante, diutiſſimè in ſacris ſuis receſſibus, velut aſylis, profugas ſervavêre, Muſas pauſò ſeveriores denuò civitati, lucíque primæ aſſereret. Certè ſtudiis iſtis auguſtiores magnificentiæ Numinis, illuſtriores Rerum ſacrarum, Dogmatum, Religionis, Aſceſeôsque ipſius ideas ingenerari, hominem manſueſieri, honeſtatis ſenſum exacui, affectus cicurari &c. paſſim per hoc Opus docebimus. Dignæ tamen ſunt tot Illuſtrium Philoſophorum, Virorúmque aliorum inſignium de inutilitate obſervatæ hactenùs in litterariis methodi querimoniæ, quæ denique priùs audiantur, admittantur ad animum, & ponderentur, quàm rejiciantur. Præſumi tamen deberet, non ſine momentis gravibus, quæ ſaltem examinari mereantur, tot Athenæorum publicorum privatorúmque ſtudiorum inter Orthodoxos ipſos emendationes tum Principum, Magiſtratuúmque juſſibus ſuſcipi, & adornari, tum paſſim ſuſpirari; quod communem de ſterilitate ſtudiorum hactenùs frequentatorum ſenſum abundè teſtatur. Non deſunt vires, non elegantia ingenia,*

quae secus inutiliter Reipublicae tanto delectu in monasteria subducuntur, & quibus foenoris talentorum suorum veri sic occasio adimitur, nisi desint animi, & arctior nonnihil concordia. Secus metuo, ne denique turpiter alienum exemplum segnes sequi cogamur, qui nostro praeire facile potuissemus.

„ Atque his dictis Cl. Author praefationi imponit „ finem, Lectorem vorò posthac meliora à se ex- „ spectare jubet. Et verò Operis hujus sanè quàm „ praeclari promulside omnium Eruditorum accen- „ dit sitim, quam ut proximo quoque tempore „ explere possit, omnia ei ad commentandum & „ scribendum necessaria praesidia ex animo opta- „ mus. Fuerunt tamen è nostris, qui Opus hoc „ ceu obscurum in contemptu ponerent; id quod „ cùm ego aliquando ex alicujus ore audirem, „ in mentem venit Coeci illius, qui cum utroque „ orbus lumine nihil videret, culpam in aedes „ conferebat, quòd obscurae ac tenebricosae es- „ sent. Certè Opus Em. Cardinali Quirino ob- „ scurum visum non est, qui in Itinere suo Ger- „ manico Ursinum delatus Authori ad ulteriora „ animos addidit. Obscurum visum non est doc- „ tissimis Lipsiensis Academiae Professoribus, qui „ illud non modò in *Actis* suis praedicarunt; sed „ Serenissimo etiam Hassiae Lantgravio Episcopo „ Augustano, in cujus dioecesi Ursinum est, lau- „ dârunt, quo tempore ex thermis Carolinis Au- „ gustam reversus, per Lipsiam iter instituit: „ qua collaudatione Celsissimus Princeps delectari „ visus est, ut qui nihil majori habuit curae, „ quàm ut Clerus suae Dioecesis, cùm secularis „ tum regularis, eruditione & doctrinà solidiori

„ ex-

„ excolatur. Hoc de Opere Vir illustris L. B. „ de *Petrasch* Societatis literariæ Regio - Cæsareæ, quæ Olomucii est, Præses & Institutor „ optimè meritus in suis ad Eminentiss. Cardinalem *Quirinum* Brixiensem Episcopum Idibus „ Novembris anno 1748. datis ita rescribebat: *Nec ignotus Tibi erit* P. Udalricus Weis, *qui excellenti suo libro*, Emendationem *puto* Intellectûs Humani, *Logicam saniorem*, *Peripateticis exutam ineptiis*, *inter orthodoxos Germanos dare nunc ausit primus. Non exigua mihi inde spes perlucet, multa monasteria Scholasticas desertura argutias, ac juvenes rationibus, non sophismis, pugnare edocendos esse.... Prævideo quidem multas Patri* Weisio *oppositiones, fortè etiam persecutiones oriundas esse, si his non jam tempestivum, ut intellexisse somnior, initium factum est. Hic Tu*, Eminentissime Domine! *multa apud monachos præsertim tui Ordinis in sanioris hujus Philosophiæ favorem agere valebis, ne barbarico inhærentes fermento hostem putent, qui depravatæ rationi sese obtulit medicum. Quoad Seculares; jam illum plurimæ Litteratorum Societates in amicitiam recepêre; hîc nil habet, quod timeat; nam omnibus fætebant diu Prædicamenta. Academia nostra Austriaca illum Socium magno honore recepit, ac ego Reginæ nostræ hâc hyeme me eum non absque fructu commendaturum spero.* Hæc ille. In eundem verò librum & Authorem sic allusit amicus Musis nostris calamus:

Simonides olim memorandi repperit artem;
Nullus adhuc artem repperit ingenii.

 Hujus

Hujus at ingenuè nuper moderamina scripsit
Lamindus Pritan *) *ingeniosus homo.*
Nunc Intellectûs artem novus arte Magister
Weisius *exponit, tollere menda docens.*
O felix Scriptor! felix Opus! atque Beatus,
Cui dux à teneris Weisius *ipse foret.*

Ceterùm vix orbis eruditi conspectum plausúmque subierat insignis partus, cùm illicò *Fortunatus à Brixia* è Minoritarum familia monachus ferulam in eum strinxit, ac editâ *de Qualitatibus corporum sensibilibus Dissertatione Physico-Theologicâ*, infelicibus aliquot plagulis nigerrimum theta *Weisio* inurere, hujúsque orthodoxiæ hostiliter detrahere non est veritus, quem tamen Noster egregiè excepit editâ *Augustæ*, anno 1750.

II. *Epistolâ apologeticâ ad Eminentiss. Cardinalem Quirinum*, in qua eum his affatur verbis: *Et quo magis querelam meam, quam ad Te, converterem, magne* QUIRINE! *Tua sedes, calumniarum & criminationum, quas in me congessit* Fortunatus, *patria est: Brixiæ natales suos habent: interest honoris mei, ibi purgari & vindicari maximè, ubi primò vulgata maximè percrebuit* Fortunati *criminatio; ut fiduciam & conscientiam innocentiæ meæ magis faciam manifestam. In oculis Tuis, quidquid rei est, gestum; unde intelligere debeam Viri Clarissimi consilium, me certiùs apud illud Tribunal denuntiandi, cui, summus à primo rei librariæ in Ecclesia Judex, tanta cum gloria praees. Apud Te igitur causam veluti capitis dicere, incolumitatis meæ refert.* Hæc ipse sui vindex maxime idoneus.

*) Sub nomine *Pritani* scripsit celeberrimus *Muratorius* Tractatum *de Moderatione Ingeniorum.*